Phil. 251 B

ONOSAN DRI PLATONICI DE OPTI mo Imperatore eiusq́ꝫ officio, opus nō minus eruditū quàm amœnum Nicolao Saguntino interprete.

RAPPHAELIS VOLATERANI *De principis ducisq́ꝫ officio & ueteri militia, Liber unus, perquam doctus & utilis.*

AGAPETI DIACONI DE OF-*ficio, Regis ad Iustinianum Cæsarem opusculum saluberrimis aphorismis refertum, per* ALBANVM TORINVM *Latinitate donatum.*

PLVTARCHI CHAERONEI DE *doctrina principum Liber* I. ERASMO ROTEROD. *interprete.*

BASILEAE.

M. D. XLI.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D.

Bernhardo Marchioni Badenſi, & Hochburgenſi Lantgrauio Suſenburgenſi, Domino in Roetelen et Badẽuueiler, &c.

Principi ac domino ſuo

ALBANVS TORINVS,

S. D.

SIONOSANDRI Platonici ſentẽtia: Diſciplinæ quarumcũq; rerum ac leges quęuis ἀκίνητοι illis potiſſimè, qui huiuſmodi rerum ſtudio uehementius capiũtur & ſingulari autoritate præſtãt, dedicandæ ſunt, haud equidẽ intelligo, cui nam potius imperatorij muneris contemplandi ratio, Ducis itẽm ac Principis officiũ conueniat, quàm inclytę Dominationi tuę Magnanime Princeps, qui micantiſsimis illuſtrium maiorũ tuorum imaginibus, ceris ac ſtẽmatis regno deſtinatus,

 iſtam

istam amplitudinẽ & maiestatem non tam stipatorũ aut caduceatorũ pompa, cæteroq́ fortunæ strepitu quã sapientia, integritate, & egregijs deniq; facinoribus à serenissimo pientissimoq́ parente tuo, qui hæc tenello pectusculo insculpi uoluit, tuendam didicisti, tãto quidẽ cum fructu, ut iam pridem etiam dum adolescens nõ modo præcepta imperatoria, uerumetiã imperandi rationem tenere uisus sis. Quo circa ab inuictissimo CAESARE CAROLO semper Augusto in bello iam tum satis periculoso Archidux & imperator exercitus inauguratus, maximo cum omniũ elogio, eam prouinciã quantumuis arduam prudentiũ uirorũ consilio gessisti, & gnauiter obita militia felicissimis euentibus absoluisti. Vnde uerũ honorem, qui uirtutẽ & rectè facta, sua sponte comitatur, minimè affectatum consequutus es. Quãdoquidem uerò in hac uita, nulla artium neq; difficilior, neq; perniciosior militari scientia existit, ut

quæ

quæ nullis carceribus circũscribi, neq; finẽ ullũ habere potest, quotidie noua stratagemata, noui astus & insolentes uersutiæ in πολυτρόποις imperatoribus oriuntur, nouũ præliandi genus subinde cõminiscitur. Neq; quisquã quantocunque ingenio industriaq; præstet, in hac arte satis peritus inuenit, in momento intereunt exercitus, urbes diripiuntur, regna alioqui florentissima euertuntur, imperia mutant, diuina humanaq; sursum ac deorsum cõmiscẽtur & concidunt. Nec est ullus pœnitentiæ locus, pœna continuò sequitur errorem. Proinde summa cõmendatione dignissimus princeps, aut ille exercituũ Dux, qui de re militari peritos iugiter audit, legit, meditatur ac disputat. Frequens enim ista artis bellicæ meditatio peritos in re militari faciet. Eoq; Onosandri illud de optimo imperatore eiusq; officio, atq; adeo de omni re militari opusculũ, perquam eruditũ & elegãtissime Latinitate donatũ, tuæ inclytæ domina-

 tioni

tioni cum cæteris id genus scriptoribus consecrare uolui, ut inde ceu ex mutis præceptoribus militiã Christianis principibus utilissimã & necessariam cõprimis, ad unguem perdiscas. Haud enim artium Bellicarũ minus ex isto uno autore, q̃ ex Vegetio, Polyæno, Aeliano, Frontino, Polybio ac cæteris omnibus hauries. Hactenus de priore dedicati huius uoluminis parte, nũc de reliqua agemus, in q̃ Principis pariter & Regis officium perstringit, hoc est, artis bene regnãdi recta institutio, qua sanè nulla est cæterarũ artiũ neq; pulchrior, neq; difficilior, eoq; à iuueni Principe anteq̃uã regni gubernacula suscipiat maximè discenda. Quemadmodum enim in nauigatione clauus naucleris, qui peritia gubernandi, uigilantia & fide præpollẽt, tutius cõmittitur. Ita regnum ei, qui sapientia, iustitia, animi moderatione, prouidentia, studio reipublicę præcellit, potissimè cõmittendum. Iuuenis princeps diu suspectã habeat suã ipsius

ætatem,

ætatem, partim ob rerũ imperitiam, partim ob immoderatos animi impetus, caueatq; ne manum magnæ cuipiam rei admoueat, citra prudentium uirorum præcipuè seniorum consilio, inter quos assiduè uersari debet, ut iuuentutis impotẽtia, maiorũ reuerentia temperet, & ætatis lasciuiã ætatis premat sæueritas.
Periculũ alioqui est, ne si imprudenter inter nugões, pditos aleatores, abiectissimos assẽtarores, scurras, mimos, cõbibones, profusores ac uoluptatum architectos iuxtà stultos, ac nequã (à quibus nihil præter uoluptates, delicias, fastũ, arrogàntiã, iracundiã, tyrannidem neque audit neq; discit) uitã degat, ætatis calore præceps, Phaëtontis aliquando more, nulla adiutus sapientia rerum habenis per occasionem arreptis, suo pariter & orbis malo, subuertat omnia.
Disciplinæ igitur bene gubernandi gustum & boni principis munus, partim ex hisce breuibus libellis, partim & maximè quidem ex genitore tuo principũ

amplissimo, accipies. Integri ẽm uerique Christiani principis simulachrum, imò cœleste quoddã animal numini quàm homini similius, hæc parum graphicè à nobis elaborata Illustrissimi parẽtis tui Marchionis Hernesti pictura, clarius q̃ è speculo ostendet. Primũ imperatorio stemmate præfulgens, patrem habuit serenissimũ Marchionẽ Badensem, & Hochburgẽsem, &c. Christophorum, Augustissimi Romanorũ imperatoris Federici III ex sorore nepotem, inuictissimi Cęsaris Maximiliani, numinis terreni cõsanguineũ & intimũ necessariũ, cuius sine auspicijs, nullum memorabile facinus ab eodẽ sacratissimo imperatore gestũ phibetᷓ. Animi quippe magnitudine & uirtutis præstantia oẽs totius Germaniæ principes superauit, à quibus fortissimi principis nomen haud iniuria est assequutus. Taceo propinquitatẽ Marchionum cum Carolo Romanorũ imperatore potentissimo, cui uel notũ esse tantummodo, honos est

Hernestus Marchio Badensis ueri principis imago.

omnium

omnium extremus. Prætereo longissimæ prosapiæ Badensis uetustissimæ seriem, in qua Archiepiscopi complures, Romani imperatoris electores primarij fuerunt. A natalium suorum splendore nihil prorsus degenerans, maximi principis filius princeps Hernestus omnibus uirtutum numeris absolutus, omnium bonorũ natus, imò datus à cœlestibus, subleuandis rebus mortaliũ, omnibus ex æquo prospicit, omnibus consulit, nihil habet republica neque antiquius neque suauius, animo plusquã paterno in omneis præcipuè bonos præditus est, cui singulorũ uita charior quàm sua existit, nihil noctes atque dies aliud agit, nihil molitur, quàm ut optimè sit omnibus, apud quem præmia parata sunt bonis omnibus, malis uenia, si modò sese ad frugem meliorem referant, nõ uerò resipiscentibus formidabilis est, patriæ cõmodum suum maximũ ducit esse compendium, de ciuibus subditisque omnibus adeò gratis bene mereri cupit, ut si

res postulet, non dubitet suo cum uitæ discrimine, illorũ incolumitatem tueri. Sola uerè regia laude, sapiẽtia, prudentia, uigilantiaq; cęteros antecellit, sic, ut semper uigilet, quò cæteris liceat altum dormire. O quoties his auribus ex ore ipsius audiui ὀλίγοι παννύχιοι. Nec uidit quispiã illo magis sobriũ, & pro repub. magis solicitum, iugibus se curis discruciat, quo patria in summo degat ocio. Quod rectum, quod uerè honestũ non ut principũ uulgus factitat, quicquid animo collibuit, ubiq; sectatur, eoq; metitur omnia. Integritate & beneficentia gerit imperium, nõ sibi, sed reipublicę. Non metui, sed amari studet à ciuibus, nec alia in ipsos est animo, quã bonus pater familias in suos domesticos. Ciuium erga se beneuolẽtia tutiorem putat, quàm Barbarico satellitio, & cõducticijs latronibus. Virtute, prudẽtia, & autoritate præstantes, non ut Tyranni suspectos & inuisos habet, sed ueluti præcipuos auxiliatores & amicos amplectitur.

plectitur. Sapientissimus quisque ei gratissimus est, & à cõsilio. Assentatoribus nunquam se deridendum propinauit, liberos semper amauit amicos, Concordiam inter omnes alit, & si quid ortum fuerit dissentionis, cõtinuò componit; Pro publica pace, nihil non facere ac pati dubitat, intelligens bellum grauissimam rerum publicarũ pestem, & omnium malorũ parentem. Neminem depilat, sed in suo fisco putat esse quicquid usque ciues sui possidẽt, quos sic habet charitate deuinctos, ut nihil uereantur, uel uitã, nedum pecuniam, pro principe suo impendere. Sic temperat imperium, ut beneficium sentiat populus, seruitutem minimè. Leges nõ nisi salutares condit, inutiles corrigit. Breuiter his epithetis titulisque iure optimo signari potest: Pater patriæ, seruator, clemẽs, placidus, humanus, prouidus, æquus, magnanimus, affectibus imperans, dominans uoluptatibus, consilio acrique iudicio pollens, industrius, con-

fector negotiorum, facilis aditu, comis congressu. Factus ad emendandū populi mores, natus ad bene merendum, patriæ summa felicitas & salutare numen. Et quod apud me maximum habetur, Euangelij dogmata ad unguem & tenet, & sequitur. Sed paucis hic habes (nequeo em̄ cuncta in epistola persequi) in patre tuo, optimi & Christiani principis imaginē, penicillo qualicunque uere magis quā scite depictā Bernharde princeps inclyte, cui respondere uere gloriosum, uereq́; magnificū T. C. uincere pulcherrimum fuerit, profecto degenerare ab hac sine summo dedecore omnino non potes. Absolutissimū itaque hoc unicum perfecti principis exemplar, imitari summis uiribus enitere, uni parenti unice inhæreas, hunc unum amplecteris, huic uni placere studeas. Sit tibi in oculis, in corde, in ore, hunc penitus sapies, hunc moribus & uita exprimas, & superare manibus pedibusq́; contendas. Primas namq; & præ-

cipuas egregij principis esse partes pater tuus duxit: Non solum bene imperare, sed efficere, ne succedat deterior, eoq; ita semper imperium gessit, quasi certaret in hoc, ne quis sui similis queat succedere, atq; sic interim liberos pro uirili futuro parauit imperio, tanquam id ageret, ut sibi succederet se melior.
Quare tanta solicitudine bene natos liberos, educatione (adhibitis uiris grauibus, inculpatis, & longo rerum usu doctis) meliores reddere cõtendit, nunquam immemor se patriæ genitos, patriæ educandos, nihil quippe retulerat filios genuisse imperio, nisi eosdem curaret educandos imperio. Neque aliud pulchrius uirtutum suarum monimentum poterit relinquere optimus princeps, quàm filium haudquaquam degenerem, qui parentem egregijs facinoribus præferat. Neque sanè uita excedit, qui talem sui imaginẽ post se relinquit in sæculo superstitem. Hæc cæteraq; id genus innumera parentis tui decora,

tibi

tibi Deo præside facilè parabit uirtus, & teipso semper melior euadere cupiens, Istud qualitercunq; deliniatum optimi Principis simulachrum libenter agnoscis, sapiēter imiteris, æquare & uincere toto pectore coneris. Bene uale BERNHARDE Princeps Illustrissime & me in numerum tuorū mancipiorum adscribito. Basileæ, Calend. Septemb.

ANNO M. D. XLII.

8

ERRATA TVMVLTV-
anter commissa.

Folio, 155. Versu, 21 lege, amniū. Fol. 162. uersu, 8. lege, terreno. Folio, 178. *aphorismo.* LXIII, *hæc omnia sunt omissa in calce:* Multò *nam que præstantius est indignorum propter dignos misereri, quàm indignorum uitio, dignos meritis suis defraudare.* Folio, 179. *uersu,* 18. *lege curriculo pro cuniculo.*

ONOSANDRI PLATONICI DE OPTIMO IMperatore eiusq; officio ad Qu. Verannium Liber, per NICOLAVM SAGVNTINVM è Græco in Latinum traductus.

PRAEFATIO.

EQVITANDI aut uenandi, piſcandi denique uel agros colendi diſciplinã & leges ad illos edi oportere exiſtimo, qui huiuſmodi rerum ſtudio uehementer oblectari ſolent, Imperatorij uerò muneris cõtem-

plandi rationem, Q.Ueranni, Romanis potissimùm arbitror conuenire, ijs præsertim qui autoritate senatoria præstant: iudicio preterea diui Cæsaris Augusti, ob huius muneris egregiã disciplinam & singularem plurimarum maximarumq; rerum peritiam, maiorum quoq; suorum dignitatem & nomen cõsularibus atq; imperatorijs honoribus insigniti sunt. Iis itaq; id operis in primis censeo dedicandum, non tanquam imperandi & copias ductitandi ignaris. Quin eo maximè ad scribendum adductus sum, quòd plerique ruditate quadam atq; inscitia rerum, aliorum facta haud rectè pẽsantes, eadem ipsi uituperare improbareq; audacius pergunt. Qui uerò bene sunt instituti, rerumq; scientia præditi, quæ alij pulchrè honesteq; gesserunt probè cognoscentes, laude ipsi commendationeq; prosequuntur. Quo fit, ut quanquam ea quæ conscribere institui, plerisq; uideri posse intelligo iam multo antè excogi-

Ratio quur scripserit.

cogitata esse & penitus cognita, non tñ ob id ipsum deterrear, quominus insti tutũ ad finẽ prosequar. Quinimmo ala crior ire pergã, ut qui nõ modò præcepta imperatoria tradere, uerumetiã imperãdi rationẽ tenere uideri possim. Fe lix pręterea iure sim, si ea quę Romani, uirtute ac industria duce, fortiter atque præclarè gessissent, idoneus ipse existimer qui oratione cõplectar. Qua de re si laborem hunc meũ huiusmodi uiris probari sensero, minimè dein dicere dubitarim, illustriũ imperatorũ consilia his almæ pacis temporibus hoc opere contineri. Vnde etsi nil aliud, illud uel præcipuè animaduerti atq; dignosci poterit, quamobrẽ aliјs malè pugnare atq; in calamitates incidere sæpe acciderit, aliј optimè re gesta egregiam famam atq; ingentem gloriã adepti sint. Patebit perspicuè deniq; eximia illa uirtus Romana, quando nullus unquam rex, nulla ciuitas, nulla præterea gens, non modò maiorem imperiј amplitu-

Laus Romanorum.

dinem obtinere, sed ne parem quidem atq; æquam attingere quiuerit: ut tot iam circumactis temporibus, tãtam imperij molem perpetuo quodam tenore cõstantissimè immotam ac solidam seruasse uideantur. Nec mihi ratione ulla possim persuadere, fortuna id euenisse & casu, ut superatis Italiæ finibus ad ultimas orbis oras nomen & imperiũ potuerit propagari: prudentia potius, consilio, arteq; militari, & rerum præclarè gestarum splẽdore & gloria. Propitiã etenim cœptisq; nostris fauentẽ, adipisci fortunam optandum utiq; est: non ideo tamen existimandum, eam rebus præesse omnibus atque penitus dominari. Vt enim inepti atq; parum considerati sunt, qui singulas calamitates uni fortunæ attribuũt, nõ & imperatorum insuper desidiæ & errori: Ita qui res rectè & ordine gestas fortunæ uiri ac ui, non & Imperatorum uirtuti atq; solertiæ impertire uidentur. Iniqui enim atq; iniurij pariter est, uel eũ qui rempub.

Simile.

rēpub. male gessisset ab omni prorsus culpa eximere, eāq; ad fortunā omnino reijcere: uel eum qui fortiter nauiterq; uictor atq; uoti compos euasisset, usq; adeò debitis fraudare laudibus, ut palmam rei bene probeq; gestæ, fortunæ duntaxat acceptum oportere referri censeat. Cæterum cum omnes penè mortales natura propensiores sint his potissimum fidem habere, qui ea uel memorent uel literis mandent quorum ipsi periti sint, etiam si qua ardua & difficilia factu uideantur referre: narrantibus autem rem quampiam in qua se metipsos non exercuerint, tametsi nec difficilis nec incredibilis est, uix tamen adduci possunt ut ei fidem habeant: idcirco necesse esse opinor, tantū præfari hęc omnia, quę de Imperatore militaribusq; consilijs hoc libro sum complexurus, iam rerum indubitatis periculis esse probata, his maximè autoribus, qui Romani nominis parētes atq; principes extitere. Quorum egregia uirtus

 sine

ſine controuerſia apud omnes morta-
les ad hanc diem conſenſu omniũ pri-
mas obtinet. Nihil igitur raptim, nihil
temerè ex temporé ue confictum, nihil
prorſus imbelle libellus is continebit,
ſed ea quæ rerum uarietate certiſſimis
documentis Romani nauiter geſſerũt
ac ediderũt: qui non modò quid aduer
ſum hoſtes faciendum eſſet, probè ſci-
uere, uerumetiam ne quid ſibi contrà
inferri poſſet, prudenter proſpexere:
nec inuenies uſquam, ubi non certo
æquoq; iure certandi uſi fuerint. His
itaq; fontibus equidem cuncta collegi:
quanquam non ſum neſcius pleroſq;
optaturos, quęcunq; de hac re ab ſe di-
ci poſſent, ſua magis uideri, quàm acce
pta ab alijs. Quippe qui maiorẽ ſe lau-
dem crederent adepturos, ſi ab ſe exco
gitata uiderentur atq; deprõpta, quàm
ſi hæc ad alios autores referri oportere,
non ſua eſſe, planè faterentur. Equidẽ
nihilominus me ob id ipſum commen
dationem conſecuturum exiſtimo. Nã
quem-

quemadmodum si quis profectus militiam res strennuè ibidem ac fortiter ab aliјs gestas literis & memoriæ tradidisset, nõ propterea laude priuaret, quòd nõ quæ ipse uiribus & ingenio aut inuenisset aut patrasset, sed quę aliј fecissent posteritati commendasset: Ita me puto non proinde parum commendationis & laudis relaturũ, quòd nõ à me hęc inuẽta esse ingenuè fateor: quin potius hoc ipso præstare haud iniuria uideri omnibus possum, qui & laudem sine inuidia, & fidem sinę obtrectatione atq; calũnia meritò relaturus sum.

DE IMPERATORE *deligendo.*

IMperatorẽ itaq; deligi oportere inquam, nõ generis & maiorum, nec fortunarum & opum habita ratione: quorum alterum in sacerdotibus deligendis, alterum in magistris ludorum creandis obseruari solet. Sed quęratur eiusmodi, qui temperans sit, cõtinens, sobrius, frugi ac tenuis uictus, laborũ

patiens, acer ingenio, non auarus, non iuuenis, non senex: si contingat quoque, qui liberos habeat, qui ad dicendũ idoneus sit, existimatione denique preditus.

Temperans, ne uoluptatibus delinitus atque distractus, curam maximarum rerum destituat.

Continentem autem esse oportet eũ qui summæ tãtæ administrationis preest. Impotentis enim animi impetus, si facultatem fortè quæ collibuerit perpetrandi nactus sit, usque adeò cupiditate preceps prolabitur, ut cohiberi facilè nequeat.

Sobrium etiam uolo, ut rebus maximis inuigilare commodè possit. Sæpe enim noctu per quietem animi, Imperatoris consilia cogitatione discussa cõsummatius confirmari possunt.

Victu frugi & tènuem, quia deliciarum plenus uiuendi cultus, & exquisita ciborum cura fatigat & mergit animum, ut per Imperatorum delicias necessaria tempora gerẽdarum rerum incassum

cassum terantur.

Patientia uerò laborũ ad Imperatorẽ eo in primis attinet, quòd eũ inter militares labores ultimum esse oportet qui defatigetur atq; lassescat.

Acer esse debet ingenio, quòd celerẽ &(ut inquit Homerus) uolucrem eum esse oportet, quo cogitatiõe currat pernix per omnia, atq; futura coniiciat animo longeq; prospiciat. Vbi enim non expectati neq; præuisi accidunt casus, cogitur imperator raptim inire cõsilia, & salutem rerum temerè sorti committere.

Non sit auarus & lucri cupidus: hoc enim in primis eum præstare oportet. Qui nãq; argenti ac auri munerum' ue nimio nõ tenetur amore, is magnificẽ rebus omnibus administrandis præsidet. Pleriq; enim etsi fortitudine quædam & robore aduersus arma atq; copias hostium præstare possunt interriti, auro tamen illecti mollescunt: quòd id efficax telum est, & ad captandã ex-

torquendam'ue uictoriam uehemẽter accommodatum.

Aetas Imperatoris. Nec iuuenem nec senem dixi oportere esse imperatorem, quòd alter incredulus nimis est, imbecillus alter, ad rẽ administrandam idoneus neuter. Quã obrem iuuenis repudiãdus uidetur, ne fortè inconsideratè nimia audacia peccet. Contrà, senex nõ admittendus, ne pro naturali infirmitate deficiat. Proinde optima est mediocris conditio. uires enim uigorq́ ei adest, qui nondum est senecta confectus: prudentia uerò in eo inest, qui nõ admodum iuuenis est. *Virium & prudentiae cõiunctio.* Nempe sicubi robur & uires corporis sine prudentia animi, rursus ingenium sine uiribus incolumitate'que corporis hac in re quis probet, nihil certò efficiat. Nam ut corpus cui desit prudentia, parum consilio ualet: ita animus destitutus tanquam ministris uiribus corporis, nullam rem efficere commodè & utiliter absoluere potest. At, qui utrobique probatus est, is futurus est

usui

usui rebus omnibus. Ei enim ut quem omnes diligant, præsertim libero & suopte impulsu animi imperanti, impigrè obediunt, dicenti credunt, obeũti quæuis pericula certatim opitulantur.

Patrem habentem liberos duximus admittendum: non tamen eum qui liberis quidem careat, alioquin autem fortis probus'que sit, repudiãdum. Filij enim si adhuc tenella ætate sunt, animũ parentis deuinctum penitus obtinent: & tanquam obsides dati patriæ, mirabilem excitare possunt parentis in patriam fidem atque beneuolentiam, atque animum eius aduersus hostes quasi admotis calcaribus suscitare atque incendere. Sin ætate iam adulta grandiusculi natu sunt, armis, tum consilio, fide, opera, laborum Imperij'que societate, arcanæ rei fideli ministerio, ingentem reipublicæ possunt utilitatem afferre.

Ad dicendum aptum atq; idoneum,

quia

quia hinc maximam rebus militiæ gerendis putamus usu uenturam utilitatem. Siue enim ad pugnam instruēdæ sint acies, oratione commoda Imperator militē cohortando, facilè cuiqꝫ persuadebit pericula quæqꝫ contēnere, claris facinoribus inseruire: nec poterit tuba insonans auribus, tam animos ad arma capessenda erigere, atque ad pugnam strennuè ineundam impellere, quàm apposita & pro tempore accommodata imperatoris oratio suscitare, & studio gloriæ atqꝫ uirtutis amore incendere ad magna facinora ualet. Siue calamitate ulla accepta, animos ægros solari opus sit, oratione medelam afferet: ut multò magis ad usum exercitus, leniendis acerbitatibus casuum apposita Imperatoris oratio, quàm medicorū industria, qui ut saucios curent castra sequuntur, possit iure desiderari. Hi enim uulnera tantū curanda suscipiūt, ille uerò ęgros ac lāguidos animos orationis commoditate solatur & lęticia afficit,

ficit, bene ualentibus pręterea animos confirmat, & excitatos diligenter prosequitur. Quanto itaq; difficilius ij morbi curantur qui latent, quàm qui tractari & cōspici possunt, tanto laboriosius est mœrentes animos oratione sanare, quàm perspicuam corporis infirmitatē curare. Quemadmodum itaque nunquàm ulla ciuitas exercitum expediret, forasq; mitteret sine duce, sine certo imperio: Ita nec Imperator est deligendus infans, & cui uis atq; facultas dicendi præsto non sit.

Postremo existimatione præditum diximus Imperatorē deligi oportere, quòd uulgus ęgerrimè ferre solet, si ingloriis ignobilibusq; subijcitur: nec est qui nisi inuitus eum ducem sequi patiatur, quem se deteriorem intelligat. Porrò clarus is sit, pręstansq; opinione omnium habeatur necesse est, qui eiusmodi uirtute & animo ac moribus sit, qualem esse debere suprà retulimus.

Verùm ut neminem propter opes

tantum

tantùm deligẽdum existimarim, ita & inopem nequaquam repudiandum, modò uir fortis & alioquin bonus sit: nõ enim siue copiosus quis siue inops sit, uel probandus uel improbandus mihi uidetur propter fortunam, immo quiuis propter optandus probitatem. Enimuero si quis opulentus & diues, uirtute præterea & probitate præditus sit, eo ab ingeneroso differet inope, quo armatura argento cælata atq; auro exornata, ab ea quæ ex ferro atque ære conflata ornatu reliquo caret. Vtraque enim militem tegere ac æquè defendere potest: fulgore tantùm atq; superinducta foris specie, alteri altera præstare uidebitur.

Cauendum item est, ne rei nummariæ studiosus quis deligatur, qui quæstui continuè inhians, penitus nummis addictus sit: tametsi ditissimus atque locupletissimus omnium uideat̃, ut institores, nundinatores, negociatores, nummularij, atq; cæteri id genus.

Ne

Necesse enim est huiusmodi homines sordidos atque pusilli animi esse, ut qui lucello magnopere inseruiant, atque æri ac quæstui penitus sese dedant: proinde nullius honestæ rei, nullius clari facinoris unquam studio possint allici.

Maiorem autẽ æstimationem splendorem'ue, si fortè adsit, amplectẽdum equidem puto: sin absit, haud magnopere expetendum, nec propterea dignum aliquem esse habendum cui imperium deferatur. Quemadmodum enim iumenta de se, non foris consideranda uolumus: ita ingenuitatem arbitror hominum metiri debere. Ineptum profectò prorsusque absurdum negocium, qui quales'ue ij sint quibus rem nostram tutandam conseruandamque commissuri sumus, nõ quærere: cuiusmodi maiores eorum fuerint, quid'ue ab illis gestum fuerit, respicere, perinde ac si illi nos tueri saluosque facere possent, qui iam diu ab oculis absunt. Præterea iniquum illud omnino atque

Splendor maiorũ.

nus-

nusquam sibi consentaneum est, mili-
tari lege hos qui fortiter ipsi fecerint,
præmijs honoribusq; donandos decer
nere, non quia claris parentibus orti
sint: Imperatorem uerò eum deligen-
dum censere, qui fortibus ac honestis
maioribus duntaxat procreatus sit, nõ
eum qui suapte fretus uirtute eniteat,
tametsi generis ac parentum splendo-
re careat. quo ad uirtutem accedẽte, for
tunatiorem utiq; huiusmodi fore Impe
ratorem existimo: uerùm absente uirtu
te ingenita, inutilem prorsus & irritũ.
Quinimmo sperare quis haud iniuria
potest, fore ut hi qui maioribus claris
atque illustribus nequeunt admodum
gloriari, meliores euadãt Imperatores.
Qui enim parentum splendori innixi,
illorum se putant gloria honestari, sicu
bi ab officio aberrauerint, opinionem
atq; nomen maiorum sibi afferre consi
dunt. quo fit, ut plerumq; segnius res
administrãdas uideant̃ capessere. Qui-
bus uerò nulla est parentum reposita
glo-

gloria, & ad quos nullus à maioribus deducit̃ splendor, dũ suapte opera atq; industria lumẽ rerum à se gestarum maiorum obscuritati opponere cupiunt, rem cautius curãt, promptius deniq; & alacrius quæuis pericula subire contendunt. Et quemadmodum ij quibus nõ tam locuples & amplum obtigit patrimoniũ, accuratius rem familiarem tuẽtur, quàm qui opulentiores ditioresq́; sunt: summo eñ studio summaq́; opẽ pergunt rem augere domesticam, cumulatioremq́; ac lautiorem reddere sibi: Itidem ij quibus non licet uti parentum fama & tanquam hereditaria gloria, peculiarem sibi existimationem undiq; comparare cunquirunt.

Optandus est itaq; nobis imperator fortis, genere clarus, fortunatus, locuples: non tamen improbandus repudiandus'ue inops, modò uirtute polleat: quãuis parẽtibus haud illustribus natus. Is posteaquam delectus institutusq́; sit, esto facilis, comis, tranquillus,

se adire uolentibus pateat: non tamen tantopere se mitem facilem'que passim cunctis exhibeat, ut contemptui sit: nec tam acerbum & durum, ut odium concitet, ne aut nimia indulgentia facilitateq; dissolutiorem exercitũ reddat, aut austeritate seueritateq; alienatiorem atque infestiorem efficiat.

DE PRAEFECTIS COPIARUM *constituẽdis.*

DEligat autem ipse atq; constituat decuriones, centuriones, reliquosq; copiarum præfectos ex ordine, ut res postularit, & opus sibi fore existimarit. Quos ex eis sumat atq; cooptet, quorum uirtus perspicua sit, quiq; corpore æquo ac animo ualeant, & uoluntate fideles in patriam sint. In quo delectu habendo, nihil prohibet quominus & genere nobiles, & fortunis locupletes sumanť. Non enim unus aliquis & item alter duntaxat deligendus est, ut in paucis, & his bene honesteq; moratis, secernẽdi facultas prǽsteur: quan

dq

do præsertim decurionum, centurionum, cæterorum denique præfectorum numero apte atque utiliter digerendo, locupletioribus & nobilitate præstantioribus plerunque maxime opus est. Tum enim nobilitatem præferri è republica est, cum facto opus est, & celeritas in re conficienda exigitur, pecuniarum item commoditas maxime desiderari uidetur, cum elargiri quippiam & militibus gratiose impendere necesse est. Principum enim & ducum in milites pecuniæ erogatio, tametsi parua sit, modò benignè, liberaliter, opportuneque fiat, ingentem potest captare beneuolentiam multitudinis: & fides certissima militum inde facilè comparata, securitatem rebus & firmitudinem uendicat. Sperat enim quisque se maiora cōsecuturum, si certauerit fortiter, ubi tenuiore in re largitatem Imperatoris ex animo benignè prouenire intelligit.

Largitio.

DE COLLEGIS IN *consilium adhibendis.*

OPortet præterea Imperator sibi collegas & socios adsciscat, quibus cum omnibus de rebus deliberet, qui consiliorum effecti participes, loco sententiam dicant. Quos uel antè deputet quàm moueat, ut obeundi muneris gratia Imperatorem ipsum & castra sequãtur: uel postquam profectus est, ex nobilioribus grauioribusq; eos in dies conuocet & accersat, qui secum de rebus omnibus in cõmune deliberent. Quæ enim per se quisq; inuenerit, secũ solus meditatione discutere potest: nõ continuò eadem probare atque sanare debet. Cogitationes enim atq; consilia nostra, ut quibus natura afficimur, nisi fidele foris per cõsultationem sit adhibitum consilium, fallere nos facilè possunt, & errorum plena sæpenumero cõperiri uidentur: cõtrà, quæ alieno iudicio atq; sententia comprobantur, securitatem comparant animo, & firmi

tatem

tatem in rebus tuentur. Enimuero nec tantopere sibi quis diffidere debet, ut ancipiti sit semper & infirma sententia: nec usq; adeo arrogare, ut arbitretur nihil suis consilijs melius alij possint excogitare. Necesse enim erit, ut qui aliorum addictus est consilijs, sibi omnino diffidendo multa commutet, unde detrimēta rebus & incōmoda afferātur, quemadmodū quoq; uel semper uel sæpe eū peccare oportet, qui nullius dicto parēdo, omnia sibi soli attribuit.

DE BELLO SVSCI-*piendo.*

INitia ipsa bellorum temperāter constituenda, & tanquam rerum fundamenta prudenter iacienda existimo: unde cūctis pene perspicuè pateat, bellum quodcunq; iure esse susceptum. Hinc deos propitios fautoresq; fore sperādū est, milites pręterea alacriores animatioresq; ad iussa capessenda atq; exequenda, quô uolueris ite pergent: quippe qui sibi facilè queant suadere,

se non ultro cuipiam cupideq; illaturos iniuriam, sed lacessitos ac prouocatos arma sumpsisse: qua de re totis uiribus fortiq; animo rei gerēdæ se exhibebūt. Contrà, qui se iniuria bellum suscepisse forte rentur, deos sibi iratos atq; aduersarios fore suspicabuntur. Qua sola opinione, etiamsi nihil aduersi foris contingat, reformidabunt atq; horrescēt. Quamobrem decet Imperatorem de his quæ uel ipse requirat, uel requirentibus alijs assentiri nolit, oratione prius & legationibus agere, ut inde prouocatus uideatur ad arma consurgere, uel iusta petendo, uel iniqua recusando. Testetur deniq; deos atq; homines, non per contemptum & temerè, perinde atque sibi euenire non possint, quæ bellum gerentibus sæpe accidere solēt: neq; quia omnino pertinacia animi, mala & cladem mortalibus ferre cupiat, bellum esse ab se susceptum. Nec enim domibus mœnibusq; solùm ualida fundamenta sunt iacienda, ne infir-

mis imbecillisq; iactis principijs, quicquid inde ædifices, facilè corruat: sed multo accuratius bellorum quoq; initia solidè firmiterq; sunt construenda: deinceps copię educendæ, exercitusq; mouendus. Infirma enim rerum principia ingentem additam molem sustinere nequibũt, sed facilè oppressa, omnibus fortunis euersa protinus corruent, atq; funditus cadent. Quare solertem imitari oportet gubernatorẽ, qui priusquam portu egressus in altum soluat, omnibus rebus instruit nauẽ, atq; quoad eius fieri potest armat & ornat, mari deinde ac uentis sese committit. Turpe eñ atq; periculosum omnino sit, belli motus prę te tulisse, ita ut terra mariq; ducantur copiæ, mox derepẽte in apparatu subsistere, & in medio rerum cursu, in ipso quoq; conatu uersis (ut aiunt) proris turpiter retrocedere, uel summam rerum omnium temerè in discrimen adducere. Nec solũ ob temeritatem derisui eris omnibus,

uerumetiã imbecillitatis opinione contemptus, cuiuis iniuriæ inferendæ opportunus uideberis. Accedet ad hæc præterea, quòd hostes etiam nihil aduersi passi, odio te acerrimè persequentur: qui eos malis afficere uolueris quidem, sed imbecillitate imprudentiaq́ nequiueris.

DE EDVCENDO *exercitu.*

EDucantur autem copiæ expurgatæ prius omni uel publica labe atque macula, uel priuata cuiusq; admissione ac nota abstersis. Eiusmodi expiationes ijs placationibus sacrisq́ fieri & curari debent, uti per religionem ius sacrum dictauerit, uel ut uates ipsi præscripserint. Ducatẽ deinceps exercitus instructus ex ordine, etiamsi cum hostibus nõdum esset congrediendũ: & si per regiones longè multorum dierum itinere eũdum, quamuis per agrũ pacatum. Milites enim hoc pacto ordinem seruare assuescent, & loco quisq;

maximè manere, & duces præfectosq́; sequi discent. Quod multo accuratius obseruandum erit, si per agrum hostilem mouere necesse sit; ne per repentinos impetus paruo momēto temporis miles passim tumultuari cogatur, et sursum atq; deorsum discurrere, alijq; in alios deuehantur, deniq; multifariam circumuenti nihil operæprecium edere possint. Quãobrem instructa acie quacunq; mouendum est, ut ad iter faciendum habilē expeditumq́; militem reddas, & ad repugnãdum (si opus sit) paratum & facilem, edoctum obseruare signa, & iussa capessere, atq; loco & ordine pro sua uirili rem gerere.

Agminis progressus qualis esse debeat.

Agmen uerò per loca eiusmodi, si liceat, est ducendũ, ita cohibēdũ et obducendũ in breue, ut præ angustia & sui dilatandi facultate ad nimiam protendi longitudinem neutiquam compellatur. Qua progressus specie hosti facultas præstari uidetur ad commodum suum in aduersarios incurrendi, eosq́;

per occasionem lædendi, quippe quibus iam commoditatem sui tuendi ereptam animaduertat. Siue enim latiore acie aduersi obuijq; irruant, quod euenire solet ambitis cornibus, facilè perturbent ac uertant necesse est: siue trãsuerso in medium agmen irrumpant, turbato iam ordine facultatem illico cõpositè consertimq; progrediendi auferant tuis copijs: quæ si in phalangem sese contrahere, & ad repugnandũ conuertere constituerint, parum proficiẽt, tanquam eiusmodi phalange usi, quæ crassitudine nulla freta, infirma penitus imbecillaq; sit. Demum si hostis nouissimum agmen post terga adoriatur, eodem urgebit incommodo: ut nõ modò facultatem repugnandi adimere, uerumetiam perspicuam cladẽ atq; perniciem afferre posse uideatur. Si enim retro conuersus pugnare audeas, eadem opprimêris difficultate qua hos qui in fronte locati sunt urgeri posse ostendimus: utpote qui citò ambiri comprehẽ-

diq;

dicq; possis. Iniquo rerum statu id euenire praeterea solet, ut laborãtibus opẽ ferre non facilè quas. nam siue primos ad subueniendum postremis accersas, siue contrà nouissimos ad opem ferendam his qui in fronte locati sunt reuoces, serò id & incommodè curari posse uidetur, quãdo per longa interualla & spacia utrisuis excurrendum est. Quas ob res cõtractiores semper quadratoq; agmine mouere satius atq; tutius & tractatu facilius est, quàm protensiore atque oblongo: praesertim cum exercitui porrectiore mouenti agmine saepe contingere soleat, ut ex uisis quibusdã incertis ac dubijs formidines atq; pauores suboriãtur. Euenit enim nonnunquam ex editioribus & montanis locis ad planities & loca nuda atq; cõspicua descendentibus, ut conspectis ponè lõgo interuallo nouissimis eiusdem agminis, irruptionem per insidias hostiũ esse rati, ad pugnã derepente raptimq; conuersi, proximè ad cõferendam ma-

num

num cum suis tanquam cum hostibus uenerint.

Commeatus locatio.

Commeatum uerò, impedimenta, reliquumq; apparatũ bellici instrumẽti, in medio copiarum locari oportere existimo: præterquam si loca quæ post nos relinquuntur, ita pacata sint, ut tutò impedimenta huiusmodi ponè conuehi duci ue possint: alioquin nouissimæ partes exercitus subsidiario ac strenuo milite muniantur, haud secus atq; partes agminis primas munire debes: multa enim posse improuisò accidere.

Exploratores præmittendi.

Præmitti quoq; debent aliquot equites, qui diligenter scrutentur atq; explorent quacunq; trãseundum est, præsertim si per saltus & loca syluosa aut occlusa collibus, perq; solitudinem uastã iter fuerit faciendum. Plerunq; enim huiusmodi opportunitatem hostis nactus, locatis insidijs, aduersarios parũ sibi cauentes inter transeundum ex occulto adortus, fortunis omnibus facilè euertere potuit. Quas insidias si Imperator

rator noster per exploratores prẹsciuerit, haud magno negocio hostium prẹuersis consilijs, magnam sibi opinionē prudentiæ ac rei suę salutem poterit uēdicare. Verùm campestrem nudumq́ ac proinde conspicuum locum nullis præmissis exploratoribus ipso prospectu animaduertere potes: nā & interdiu excitatus atq; sublatus puluis, motum hostiũm indicare potest, & noctu ignibus flammisq; hostilia castra propter esse significatur.

Mouendum autē est interdiu, quando ad iter non ad prælium copiæ sunt educendæ: nisi forte quippiam urgeat, quamobrem ut hostem prẹuenias, tibi uideatur esse accelerandum. Hac enim ratione etiā noctu mouere potes, modò id tutò fieri posse intelligas.

Copiæ quando sensim ducendæ.

Sanè ubi eò uentum est, ut mox necesse sit cum hoste congredi, atque pugna & prælio disceptare, sensim non citatim ducantur copiæ, neq; magnū iter conficere cogantur. Sæpenumero enim

enim robur atq; uigorem corporis, labor ante certamen susceptus ab re assumpsisse uisus est.

Porrò si per agrum socialem moturus sis, edicas oportet militibus ne quid omnino attingant & uastent, quin omnibus penitus temperent atque abstineant. Miles enim armis fretus, & quicquid libuerit faciēdi licentiam nactus, nulli rei parêre scit: quando præsertim ipse oblectamentorum conspectus, rerum imperitos atq; inconsideratos ad cupiditatem præcipites agere facilè solet, atq; dulcedine rapiēdi ad quoduis illicere facinus. Hinc ni prospicias, parua data occasione sociorum offensi animi, infestiores tibi reddētur. Hostilem autem agrum diripi, uastari, incendi, execari'ue palàm permittas: frugū enim atq; alimentorum inopia, & nūmariæ rei difficultate bella extenuari solent atq; extingui: contrà, copia opibus'que nutriri ac sustentari. Verùm priusquam agrum hostilē uastari permittas,

mittas, hostibus, nisi cesserint tibi, id te facturum prenũcies & mineris. Ingruentis enim calamitatis discrimen, atque expectatæ cladis timor, mortales sæpe aliquid concedere cogit, quod antehac ut facerẽt, nequaquam potuissent adduci. Vbi uerò calamitatẽ acceperint, tanquã quos maiore dãno afficere nequeas, cætera contemnunt & parui faciunt.

Quomodo hostilis ager diripiendus.

Sin uerò tibi diutius in agro hostili castrametandum esse intelliges, ea tantum diripi uastariq; permittes quæ tibi non admodum usui futura conspexeris: quę autẽ cõmodo tuo seruari posse uidebis, militi ab his abstinere palàm imperabis.

Copijs tuis cõpletis expeditisq;, nec in tuo neque in sociali agro est diu morandum, ne consumptione omniũ rerum, tuis magis quàm hostibus intertrimẽto esse uideri possis. Quin quàm maturrimè copias in agrum ducas hostilẽ, unde, si uber ac felix sit, quæ uel sis

ad

ad commodum affatim capere possis: sin minus, amicorum tamen rebus benignè consulere uideberis. Verùm ex agro hostili, si fœcũdus & ferax sit, multa profectò commoda atq; ingens utilitas percipi potest.

Commeatus cura. Curandum deniq; tibi diligentissimè est, ut terra mariq; in exercitum cõmeatus facilè tutoq; cõportentur. Hac enim ratione undiq; negociatores excitabuntur, quæ ad usum exercitus pertinent, impigrè ad castra conuehere.

Loca celsiora occupanda. Quando uerò per loca angusta futurus est tibi transitus, seu si per montana & aspera tibi agmen mouendum erit, tum saluti rerum in primis intererit, præmittere aliquot qui celsiora loca, qui rupes & claustra atq; transitus ipsos occupent: ne præueniens hostis his potiatur, ac inde haud difficulter tibi prohibeat transitum. Quod contrà moliri debes, si per huiusmodi locorũ difficultates atq; angustias hostẽ præsenseris aduersum te trãsiturum. Non

C 3 enim

enim solùm tibi cauẽdum est, ne quid detrimenti accipias, uerumetiam moliendum eadem in hostem retorquere consilia. Vt enim siquando aduersus hostem moturus maturare rem debes ut illum præuenias & incautum opprimas, ita etiam diligẽtissimè prouidere debes aditum omnem ei adimere, si in te uenturum perceperis.

DE CASTRIS.

POsitis aũt in terra hostili castris, fossa confestim uallóq; opus est, tametsi eodẽ in loco tibi diu morandũ non constitueris. munitior em̃ & proinde tutior eris ad repentinos hostium impetus, & clandestinas neq; expectatas irruptiones. Deligas quoq; milites, quibus id negocij detur, ut per stationes atq; excubias castris præsidio sint, etiamsi hostem procul inde abesse acceperis.

Verùm si hostibus nihil urgentibus diuturnior tamen tibi uidetur ibidem fore castrametatio, siue populandi agri

 hosti-

hostilis causa, siue opportunitatis commodius obseruandæ, occasionisq; hostē offendendi captandæ gratia: tamen ea tibi delige loca in quibus castra teneas, quæ neq; limosa, nec alioquin insalubria sint. Eiusmodi enim locorum natura & situs, exhalatione corruptiore ac fœtoris emissione uarios morbos ingenerare pestemq; inijcere solet, qua pleriq; affecti malè uexātur, multi præterea pereunt, ut hinc nō modò in dies pereuntium strage copiæ minuantur, uerumetiam superstitum imbecillitate atq; mœstitia mirum in modum infirmentur & languefiant.

Castrorum situs.

Proinde salubre atq; utile est, castra non diu in eodem tenere loco, præterquam si hyemandi causa, rigoris & duriciei cœli uitandæ, ibidem manere necesse sit. Tum uerò apprimè curādum est, ut constructis ex ordine tabernaculis atq; tentorijs fixis, locum ciuitatulæ instar incolere uideri possis. Secus em̄, ipsæ uentris egestiones quæ ijsdem in

locis

locis perdiu fiunt, corruptiores emittũt uapores, quorum contagio finitimus aër ac circumfusum cœlum inficitur, & ad insalubrem qualitatem facilè immutatur: cuius assiduo usu & necessaria cõsuetudine, uarios & periculosos morbos imbibimus.

DE EXERCENDIS *militibus.*

SEd in hybernaculis ipsis exercẽdi sunt milites, uarijsq; periculis ad pugnam apti reddẽdi, ne locus usquã ocio & inertiæ detur. Cessatione enim & ignauia fit, ut corpora mollitia & torpore afficiãtur, animi uerò segnitie imbelles penitus ac meticulosi reddantur. Voluntatũ enim illecebris, & deliciarũ quotidiana consuetudine, uel audacissimorũ correpti animi eneruantur. Quamobrem non procul à laboribus & industria abeũdum est uiris. Si quos enim ex lõgo ocio ad labores capessendos coëgeris, ij nec alacres exeunt, & egressi minus perseuerant, ut qui diu-

turna desidia fracti labores horrescũt, & quoduis negocium ne tẽtatum quidem ac tutum defugiunt: demum sicubi rẽ experiri uolueris, mox illi abeunt, & nulla spe freti laboriosa perferre nec uolunt nec ualent. Proinde prudentis Imperatoris est, ea quæ sibi usui futura intelligit, quiete astruere atq; commodè præparare, cum nulla dimicãdi aduersum hostem urget necessitas, nullũ imminere uidetur periculum, nullum extare impedimentum, quominus exercẽdis corporibus ea militibus suis imperet, quibus in pręsentia aduersus hostem nullus sit usus. Præterea quicquid negocij citra periculum militi demandatur, tãquam quid cum idoneum ad ueram certandi rationem instruat atq; edoceat, satis præ se ferre uideri potest remissionis & laxamenti, uel his qui aliqua defatigatione affecti sint.

Exercitiũ militare. Exerceatur autem miles in hunc modum: Deligantur nonnulli, & eorum cuique apta ad rem dentur arma, assuescantq;

ſcantq́; armati ſeruare ordinem, & nuſquam deſerere locũ diſcant: præterea contuitu mutuo, crebra appellatione, familiari conſuetudine inuicem iungi ac deuinciri, ut quis quo loco ordine conſtitutus ſit, quiſq; tenere & cognoſcere poſſit, & imperatis ſine mora acceptis parere. Edoceatur præterea miles ex imperato agmen tum producere tum contrahere, & ſeu dextrorſum ſeu ſiniſtrorſum inuertere. Item aciei traductiones & motus imperturbatè facere diſcat ex ordine, & tum laxandi tũ arctandi modum, exitus deniq; & receſſus uiciſſim, atq; reliquas ordinum diſtributiones partitionesq́ue per decurias, rationẽ quoq; agminis uel in craſſitudinem cogendi, uel in oblongum producendi, atq; utrinq; ancipiti & bipartita pugna certandi, quãdo pręſertim nouiſſimus & ſubſidiarius miles hoſtibus ambire eum & undiq; complecti conãtibus, conuerſus repugnat.

Poſtremò admonere oportet militẽ,

ut signa quæ inter pugnandum Imperatoris iussu darentur, attentè excipiat: & ubi receptui canitur, sese ordine colligat, & sensim de pugna referat.

Quod enim his qui musicis dare operam incipiunt solet accidere, primo ubi opus est impositione digitorum, & uel in foraminibus tibiarum, uel interiectionibus interuallisq; fidium, alios alibi tum ponunt tum tollunt, haud ex arte neq; per dimensas ad harmoniam intercapedines, ad hęc uix extendunt & tardè mouēt: Qui uerò usu iam hæc eadem & exercitatione, arte & ratione adhibita callent, sine ullo negocio, siue flatum in tibijs reprimere uel laxare sit opus, siue chordas discurrere digitis, & aptè tractare spiritum, ad commodum moderantur, & manum iam edoctam compositè atq; celeriter mouent: Idem his usu euenit qui rei militaris rudes imperitiq; sunt. Turbulēter primò & difficulter per multos errores & longa temporis interualla instrui & in ordines redigi

digi posse uidentur: uerùm ut primùm edocti assuetiq; facti sunt, ultro (ut ita dicã) ac sponte sua, loco atq; ordini atq; rei gerendæ se applicant, pulchram nimirũ & ex omni parte compositã speciem quisq; maximè pro uirili sua explentes.

Hoc pacto instructus & ornatus exercitus diuidatur, deinde ad pugnam citra ferrum coëat, distributis leuibus pilis hastisq; fragilibus: & si fortè arua propè sint, iactu glebarum res geratur: etiam loricis ex corijs taurinis, si qua haberi possunt, miles utatur. Sin uerò colles ac tumuli & alioquin accliuia loca extant, certi ad id deputati milites Imperatoris iussu id genus telis per singulos distributis, hæc loca cursu occupent: alij quoq; constituantur, quibus id demandetur negocij, ut eodem armorum genere illos de editioribus locis deturbare cõtendant, & ipsi succedant. Demum re confecta, eos imperator collaudet qui uel partes sibi traditas ad extre-

mum tutati sunt, nusquã loco summoti: uel loco depulsis superioribus, ipsi successerunt. Hoc certandi genere, hac dimicandi ratione, hac deniq; superandi æmulatiõe & studio incolumitas exercitui comparatur, et corpora militum curantur & conualescunt, ut quibusuis esculentis quisq; libenter uescatur, & quemcunq; potũ suauiter sumat, nihil præterea delicatius & lautius, nihil exquisitius sibi uenãdo. Fames enim quę laborũ perfunctione homini exurgere solet, & sitis quæ desudantibus oritur, satis pro pulpamento atq; dulcecula potione haberi potest. Hinc militum corpora solidiora atq; agiliora redduntur, quãdo hi qui sudore, frigore, æstu, sub diuo exercitati sunt, quosuis labores ut prompto animo alacresq; subeunt, ita & fortiter ferunt.

Exercitiorũ utilitas.

Aequa ratione instituẽdus est eques. Decernãtur spectante imperatore cursus certatim, insecutiones, fugę, cõgressiones, iaculationesq;, per loca præsertim

Equites quõ exercendi.

tim

tim cãpestria, seu sub ipsas radices mon tiũ, quoad equus possit per aspera & salebras uadere. Nõ enim cogi debet, ut aut ad nimis ardua & accliuia, aut per descensus & proniora loca excurrat.

DE POPVLA *tionibus.*

POpulationibus uerò temperãter utendum est, nec militi permittendum ad rapinas & prædã temerè ferri, & per agrũ hostilem, si locuples copiosusq; sit, euagari nimis. Hinc enim plerũq; maximæ calamitates uisæ sunt accidisse, quãdo hostis manu composita dulcedine prædæ dispalatos milites, aut præda ipsa onustos per occasionem adortus, facilè potuit fundere fugareq; & opprimere: ut qui nec armis ad commodum uti, nec laborantibus inuicem opẽ ferre possint. Quare si qui iniussu imperatoris ad populationẽ profusius se uerterint, acri pœna afficiantur, & nobili ignominia notentur.

Cum uerò ad prædam populabun-

dum militem emittere constitueris, ad leues atque inermes, bellaces & strenuos tum equites tum pedites adiiciendos deligas est necesse, qui in rapinis & preda neutiquam occupentur, quin instructa continuò acie, populatoribus presidio sint, eisque reditum tutum atque facilem parent.

Et siquando exploratores comprehendantur, non eadem in omnes sententia uti debes. Sin tuas copias atque apparatum omnem inferiorem hostilibus copiis esse intellexeris, raptim tum eos extingui iubebis. Sin copiis, apparatu, armis instructiorem exercitum habeas, robustiorem denique militem obsequentioremque, atque copiarum ducibus peritioribus & illustrioribus uti possis: tum uniuerso exercitu tuo ad ostentationem usque ornato, exploratores adduci iubeas, quibus diligenter spectandi omnia potestas det, demum impune abire eos permittas. Renunciata enim rerum tuarum præstantia, & copiarum

robur

robur & amplitudo, facilem hostibus terrorem incutiet: quemadmodum difficultas rerum atque inopia cognita, aduersariorum animos erigit, & spem suggerere solet.

DE VIGILIIS.

PEr uigilias autem custodes complures sunt decernendi, quorum alij uigilẽt, alij per stationes nocturno spatio distributo, uicissim interea somnum capiant, & quieti se dedant. Non enim cogẽdus est miles ultra quàm ferre possit uigiliam agere, tametsi noctes insomnes sese ducturum polliceatur. Potest enim somni suauitas etiam inuitum militem occupare, membris ultro cedentibus, & natura ipsa consentiente. Agat ergo quisque uigiliam rectus stansque, quoniam sessiones atque accubationes sensim solent dissoluere uires, & languefacere corpus, unde somnus facilè prouocet. Contrà, crurum erectio, & aliorum mẽbrorum intensio insomnia inserit animis & immittit.

Qui uerò huiusmodi uigilandi muneri deputati sunt, pro castris & paulo longiusculè accedãt, atq; excitẽt ignes, ut eminus eos conspicere possint qui fortè quâ ignis lucet incedẽt: à quibus ipsi cõspici neutiquam poterunt, utpote in tenebris constituti, & luce opposita. quo pacto hostes incauti in manus uigilum incidere possint.

DE CASTRIS CLÀM *mouendis.*

SI quando noctu castra mouẽdum clam hostibus duxeris, uel loca quædam occupaturus, uel occupata iã à tuis defensurus, uel deniq; necessitatem prælij ineundi euitaturus, magnos primò accẽdi ignes iubeas, deinde moue. Conspectis enim ignibus, loco perstare te hostes opinati quiescent: contrà, si extinctis ignibus per tenebras abitus ipse paretur, suspicati te fugam moliri, transitus præripere properabũt, insidijsq; dispositis per occasionẽ acriter te abeuntem insectabuntur.

DE

DE IMPERATORE
hostium conueniendo.

VErùm si cõtingat ut Imperatorē hostilis exercitus conuenire necesse sit, & de re quapiam (ut plerunq; fit) secũ sit conferendum, acceptis tecũ ex optimatibus qui ætate floreant, proceritate, robore, forma, excellant armorum fulgore atq; ornatu, pręstent decore, secum cõgrediare. Fit enim plerũq; ut ex ea parte quam quis cõspexerit, de reliquo iudicet: magis quoq; quisq; induci potest atq; moueri his quę uiderit, quàm his quę fama & auditu acceperit.

DE TRANS-
fugis.

TRansfugę uerò, si qui fortè ex hostibus ad tua castra migrassent, qui uel tempus uel apparatum uel consiliũ aliquod nunciaturi uenissent, uel se duces offerant futuros pariter, quò in hostes incautos irruptio fieri queat: ita custodiantur, ut intelligant sibi nõ esse liberum quocunq; uelint ire. Quin eis palam

palàm fiat, si eis confisus incolumi exer citu uictoria potiaris, muneribus pro meritis ubertim affectos, benigneq́ ha bitos, posse quô uelint liberè ire: sin eos uenisse compertum fuerit ex composi to, arte fallendi salutem exercitus prodi turos, in ipso rerum discrimine procul- dubio perituros. Fidei enim transfugę non secus est committẽdum, nisi cum intelligit sui non esse se dominum, sed te, quem suis consilijs fretum mouere uidet.

DE CONSIDERAN- *dis hostium castris.*

CAstra ipsa hostium diligenter cõ spiciẽda sunt solerti Imperatori, situsq́ eorum non imperitè considerã- dus. Nam siquando in planitie posita sunt intra orbem, non propterea æsti- mare debes paucos ibidem contineri, quia scilicet contractiore ambitu ualli occlusi sunt. Circularis eñ figura ipso contuitu minor uideri solet, quàm ani- mo percipi posset solidi per proportio- nem

nem dimensio. Latitudo quoque quę in orbem est circumscripta, capacior ipsa re est, quàm quis conspectu coniicere queat. Contrà, si ualli latera extenduntur oblongiora, atque alicubi aut obtorta aut in plures deflexa angulos arctantur, non idcirco magnam iis multitudinem comprehēdi debes arbitrari. eiusmodi enim castrametatio speciem quidem magnitudinis præ se fert, sed non tamen plures inclusos tenet, quàm intra orbem contineri possent. Valla denique in mōtibus seu collibus ducta, nisi omnino cōserta atque compacta sint, ampliora uideri possunt, quàm si in planitie posita essent. Pauciores uerò continent, quàm quis posset ex ipso tantùm conspectu existimare. Multa nanque intermittuntur uacua atque nuda, ut loca quæ partes habeāt lacunosas & cauas, uel salebrosas & asperas, ideoque desertas, & quæ habitari à quôque minimè possint. Necessariò uerò euenit, ut pro hominibus castra struantur, & uallum

ad

ad huiusmodi longitudinem protēdatur. Quamobrem ubi castra hostium breui conspexeris circūdusa uallo, habita ratione loci figuræq́, ne contemnas: sin lōgius protracta, ne expaueas, quando his cognitis consilijs militaribus fretus, opportunitatem quandoq́ oblatam nactus, præclarum aliquod facinus patrare & edere possis.

DE CASTRIS PO *nendis*.

VErùm quando tibi castra ponenda sunt, arctes copias tuas oportet, & in breues comprimas. Hostibus uerò ad pugnam te prouocantibus, caue educas. Quin contractius conglobatū militem cōtinebis, quo uideri possis præ timore id facere: plerunq; enim imperitus rerum hostis, non militari prudentia rem metiť. Sed simplici castrorū cōspectu demū ratus aduersarios paucos, & exterritos pugnam penitus detrectare, contemnere incipit, negligentiusq́ uersari: tamen incautè passimq́

de

de castris & munitionibus suis progre-
ditur, perinde atq; nullus sibi obuiã sit
iturus. In castra ergo hostem aggressu-
rus audacter ut obsidere possit pergit,
nec animaduertit quot inde effundi ex-
plicariq; possint copiæ. qua confidẽtia
sublatus, tanquam nihil aduersi sibi ac-
cidere possit, inertior & futuri improui
dus prorsus efficitur. Quam quidẽ oc-
casionem situ prudenter arripere, indu
xeris animũ. Instructas copias derepen
te clamore sublato per postica perq; ca-
strorũ tuorũ uarios exitus explicabis, et
multifariam in hostem cursu infestus ir
rues, & rem fortissimè geres. Sanè qui
his cõsilijs atq; artibus ductitare copias
scies, facilè quoq; intelliges an hostis ad
uersus te huiusmodi quippiã moliat̃.
Neq; modò quid ipsi tibi agendum in
hostem sit, tenere debes, sed prospicere
quoq; ne quid tibi aduersi eueniat. Qui
bus enim rationibus hostem decipere
potes, ijsdem tibi prospicies ne decipia-
re, quando documento tibi esse potest

fallendi alios ratio, ut explorare facilè possis an aliquid alij mali in te machinentur.

DE CONSILIIS non euulgandis.

ET siquãdo noctu uel interdu moturus sis, siue ad opprimendum aliquod oppidũ aut arcem, aut castellũ, siue ad occupãdum transitũ, uel deniq; quoduis aliud clam hostib. maturãdũ, nemini arcanũ aperias, neq; quô sis ducturus copias, quid'ue omnino facturus enũcies: nisi fortè arbitrere nonnullis ex optimatibus rẽ secretò credi utiliter oportere. Porrò ubi eô uentum erit, unde iã facto maturrimè opus esse intelliges, quid cuiq; agendum sit per occasionem edices, atq; terram edes: nulla quoq; intermissione interiecta, copiarum duces militemq; planè admonebis, & quô res spectet edocebis: deinceps negocium impigrè capesses. Stulti enim inconsideratiq; est, temerè in uulgus consilium promere, & multitudini arcanum

arcanum intempestiuè commitere. Improbi enim & qui de republica malè sentiunt, eiusmodi obseruant occasiones: quas nacti, in hostes cõfestim trãsfugiunt, eũ nuncium allaturi, unde sibi honores & prẹmia consequi posse rentur. Nec fuit unquam ullus exercitus, de quo pleraſq; ob causas tum liberi tũ serui in hostes haud commigrent: ubi prẹsertim arcanum aliquod atq; serium tractari sentiunt, uel conserendi manum & præliandi tempus aduentare animaduertunt.

DE SACRIS IN EXERcitus eductione faciendis.

EDucere uerò copias, seu ad pugnã capessendã instruere neutiquã debes, ni prius sacra de more feceris. Qua de re aruspices atq; uates habere te oportet qui sequantur exercitum: quanquã optandum erit, si ipse tu contemplandi exta sacraq; ritè faciendi rationem teneas, ut tute tibi rebusq; tuis bene opportuneq; cõsulere possis, quãdo ad eã

rem perdiſcendam facilè inſtitui potes.

Verũ ſi pulchrè litaris, & ſacra uotis ſuccedere tuis animaduerteris, conuocatis optimatibus ſacra ipſa oſtendes, rẽ deinceps bono animo capeſſere perges. Copiarum enim duces, quid ſacra portendant, reliquos commonefaciẽt, eisq; ſpem & animum erigent, quando deorum immortalium monitu ductuq; ſe ad pugnã uenire intelligent. qua opiniõe miles penitus animatus, alacer ad quęuis pericula obeunda proficiſcetur: quippe qui ſeſe uictoriam adepturum ſperet, & ſigna quæq;, oſtẽta, uoces, ac omnia diligenter obſeruet. Quo fit, ut pulchra hæc publicorum ſacrorum litatio, etiã eos qui priuatim per religionẽ mœrere uidentur, ob ſiniſtra deuouendaq; omnia, mirum in modum ſolari poſſit, ac ſpem meliorẽ animis eorum ingenerare.

Atqui ſi fortè hoſtijs cęſis minimè litares, nec ſacra procedere uiderentur, manendum ibidem erit, nec quoq; mo-

uendum,

uendum, etiamsi quippiam uehementius uideatur urgere. Quid enim posset eo accidere peius, quod sacris & sorte ostendi uidetur? nempe si id quod futurũ est, feliciter euenire posset, pulcherrimè utiq; litasses. Qua de re pluribus hostijs cæsis eodẽ die immolare atq; sacra facta facere te oportet: paruũ enim momentum temporis plurimum ualet, & tũ prodesse tum obesse facilè potest, siue præoccupes occasionem rerum idoneam, siue omnino prætereas.

Equidem mihi uideor cœlestium syderum motus, ortus item et obitus, figurarum deniq; inclinationes, triangulorum quadrangulorumq;, & dimensionum, Aruspicinã per hostias atq; exta, opposita quadam specie contemplandiq; ratiõe designare & indicare. Quare parua quędam horum momenta, differentiæ potestates atq; diuinãdi modi, eodem die, uel potius eadem hora, ut regnis potirentur nonnulli, uel ut uicti captiq; in uincula inijcerentur, sæpę ue

Aruspicina.

lut effecerunt. Cũ itaq; nonnunquam euenit, ut quibuſdam ſacra faciẽtibus, quòd ad pugnam quidem ineundam res bellè procedat, ſed per ipſam pugnam clades quãdoq; & interitus præſignat̃: idcirco neceſſe mihi fuit uiſum nonnihil hac de re dicere.

DE LOCORVM *peritia.*

QVia ſcimus multas orbis & uarias eſſe regiones, uarios locorũ ſitus, & multiplices tractuũ figuras & formas, hoc fit ut dubium & incertum plerunq; ſit, quibus quiſq; in locis maximè pręliari & pugnam capeſſere debeat. Pleriq; enim regionis & agri ſui notitiam tenẽt, alieni ſunt ignari & rudes. Vnde euenit, ut iam unius diei itinere remotos hoſtes, & de induſtria ſcilicet exterritos, & aduerſariorũ aduentum præſtolari non audentes, abſceſſum fallentes, Imperator ignarus rerũ ut fugientes inſequatur atq; propẽſius urgeat. At ubi ad difficiles tranſitus & oc-

occlusa montibus loca, sequendi impetu, & hostis opprimendi inani spe se adductum uidet: serò quidem, at tandē intelligit ab hostibus se undiq; circumsessum, & uelut in cauea quadam inclusum, occupatis celsioribus iam locis, & claustris ac faucibus, quâ exitus aliquis effugiumq; daretur, prȩclusis. Tum circumspectans ex omni parte circumfusum insultantemq; hostē uniuerso exercitui, in interitum sese & perniciem præceps egit, loci ipsius natura repugnandi facultate priuatus: & deditionis dedecus deuitans, fame perire duxit prius atq; antiquius: uel ad deditionem compulsus, potestatem aduersarijs quicquid de se collibuerit statuendi præstitit. Quamobrem eiusmodi hostium abscessus, ut simulacra fugæ, suspecti habendi sunt, nec cupidè persequendi: locorum magis habēda ratio, & natura eorū diligenter cōspicienda.

In educendis itaq; copijs illud est maximè obseruādum, ut quâ ingrederis, eâ

De reditu prospiciendum.

eâ quoq; tibi reditus patêre possit: & uel ab ingressu desistas, si redeundi adimi potest tibi facultas, uel tibi redituro prospicias. Quod hac ratione fieri poterit, si prærupta eminentioraq́; loca, & transitus dorso mõtium uictos tuo milite occupes, quò inde, cũ opus sit, tutô tibi reditus pateat. Hæc dicta sint, non modò ut hostem consilio superes, uerumetiam ut ne ab eo ipse incautus opprimare studiosè prouideas. Pulchrũ enim est scire hostem deceptum opprimere, necessarium autem, ne ipse decipiare cauere.

DE NVNCIIS NON *negligendis.*

QVicunq; nunciaturus quippiã te conuenire quæsierit, siue liber sit siue seruus, & siue noctu siue interdiu uenerit, facilè admittatur, neque modò in tabernaculum intromittatur, uerumetiam in ipso itinere, si fortè obuiã uenisset, accipiatur: & omnino siue quiescas, siue comedas, siue laues, non in-

intermittat accessus eius. Differre em̃ hæc, & tui adeundi copiã adimere, uel ministros habere quibus liceat te conuenire uolentibus aditum prohibere, maximarum rerũ id est occasiones nimirum perdere, & temporis, quod est omnium primum, iacturam facere, importuna demum ignauia rem tuã euertere. Plerunq; enim his admoniti nunciis & edocti Imperatores, ad ea paruo momento temporis euenire potuerũt, quæ rebus omnibus apprime uisa sunt profuisse.

DE TEMPORE CIBI *à militibus sumendi.*

SI fortè è regione hostilis ualli castra tua ponere tibi necesse erit, curare debes ut prima luce milites cibum sumant. Nam si penes te esse animaduerteris, ut ad arbitrium, cum libuerit, instruere aciem & ad pugnam educere possis: tum, ut commodum erit tibi, cibum cuiq; sumere mandes. Sin autem eô discriminis uẽtum esset, ut uel ob situm

tum loci, uel ualli fosseq́ue infirmitatem, uel quauis alia de causa, in hostibus uideatur esse munitiones exire, infestum ducere agmẽ, necessitatemq́ue tibi arma sumendi & contrà pugnandi inferre, res non erit negligenda. Quin diligenter curandum, ut dato signo prima luce miles tuus cibo firmet, ne fortè præuentus, ieiunus arma cogatur arripere & pugnam inire. Miles enim mediocri cibo firmatus, nõ tamen ad satietatem usq́ue repletus, robustior atq́ue ualidior ad dimicãdum efficitur. Qua re neglecta, sæpe pessimè pugnatum est, milite uiribus ob inediam destituto: præsertim ubi prælium nõ leui certamine, sed grauiter toto die peracto uenit ad exitum.

DE EXERCITU
confirmando.

VErùm siquando trepidatione ulla (ut fit) orta mœror aliquis militum animos occupasse uideatur, siue quòd hostibus accesserint auxilia, siue quòd ulla alia de re eorum conditio potior

tior ac præstantior possit existimari: tũ maximè decet Imperatorem hilaritatẽ atq; lætitiam præ se ferre, & animũ inexterritũ fingere. Vultus enim faciesq; Imperatoris, conformes sibi solet animos reddere militũ, & similitudine sui eos afficere penitus. Læto namq; Imperatore, ad spem confestim erigitur miles, ratus nihil iam aduersi, nihil periculosi impendêre. Contrà, si pauidus uideatur & dolens, cõcidunt animis protinus omnes, perinde atq; si qua ingẽs portendatur calamitas. Euadere satius nimirum est, atq; magis ad prudẽtiam imperatoriam attinet, fronte orisq; habitu multitudini lętitiam machinari, & alacritatẽ suggerere animis, quàm mœrore deiectos oratione & uerbis solari. Plerunq; enim orationi fides haud habetur, quòd pro tempore de industria potest confingi: oris uerò statum atque fiduciam quisq; maximè intuetur, & simulationẽ abesse ratus, abacta formidine animo confirmatur. Sanè utrunque

te-

tenere optandum est: id est, oratione commodè, cum opus est, scire uti, et sese eiusmodi gerere, uti res & tempora exigere uideantur.

QVANDO TERROR
exercitui incutiendus.

VErùm quemadmodum expedit formidolosum exercitum oratione uultuq; erigere, & spei implere: ita quandoq; terrorem ei incutere non parum conducit, quando ignauiæ & segnitiæ deditus, Imperatori & reliquis ducibus contumaciter nō obsequitur. Tum itaque cōmemoratione periculorum, & solertiæ hostium mentione terrendus est. Quo pacto non meticulosum tuum militem reddes, sed cautum. Vt enim æger animus mœrore deiectus, obtētu spei bonę excitandus surrigēdusq; est; ita lasciuus et inertia intē perans, contrahendus terrore castigandusq; est. Quo fit plerunq;, ut meticulosi & timidi, formidine posita fortes efficiant: contrà, audaces confidētioresq;,

pru-

prudentes & cauti. Poteſt autem horũ utrunq; euenire, ut miles tuus tam re- formidet atq; metuat hoſtem, ut nequa quam ſibi ulla in re audendum eſſe exi ſtimet: uel uſq; adeo contemnat & par- ui faciat, ut ſibi amplius cauendum nõ arbitret. Iccirco utriq; rei te debes apte accommodare, & rationem habere re- rum ac temporũ: ut ubi opus ſit, timen tem te & futuri prouidum tum oratio- ne tum uultu oſtendas, aut impauidũ & fidẽtem, uti profuturum intelliges.

QVOMODO MILITES *ex captiuis confirmari ani- mo queant.*

PAulo ante cõgreſſum & pugnã, quãdo maximè anceps futuri pre lij exitus ſuſpenſum atq; ſolicitum mi- litem habet, experiri debes, ut uel clan- deſtino quodam impetu et inſidijs, uel leui aliqua paucorum pugna aliquem ex hoſtibus capias, his potiſſimùm, qui deſertis ſtationibus pro caſtris ſolent longiuſculè euagari; quos ſi conſpexe-

tris corpore esse strennuos, animoq; interritos, è uestigio extingues, uel uinctos his trades diligentissimè asseruandos, quibus hoc custodiarum negociũ demãdatum est, iubebisq; ut à nemine eos adiri permittant. Sin pauitantes & omnino instrennuos uideris, in tabernaculum tuum raptim adduci iubeas, quos toruis oculis, tristi ac tetrico uultu, uerbis quoq; minacibus ita exterrefacias, ut supplices iam & lachrymosos atq; sibi timentes ad cõspectum copiarũ iubeas trahi, simulq; concioneris, ac ostẽdas militibus quàm inertes, quàm abiecti, quàm timidi, quàm nullius sint hostes precij quibus cum est dimicandum: quippe qui tantopere mortẽ horrescant, & sibi diffidant, ut prouoluti genibus tam turpiter & indecorè mortis periculum deprecentur, & aduersariorum implorent misericordiam. Erigi enim tum animos militũ necesse est, & de pusillanimitate & mollicia hostiũ præiudicium facere eiusmodi captiuorum

Abiecti animi signum.

rum turpi ſpectaculo. Si em̄ quod quis nondum uidit, ſperat tamen, quandoque magis adducetur re uera & cōpenſatione ſpei, qua timor & difficultas facilè tollitur.

DE ACIE INſtruenda.

QVoniam uerò multæ diuerſæq; ſunt formæ acierum & ordinū, quod fit tum armorum uarietate, tum uſu inſtitutioneq; militum, tum ſitu locorum, tum aduerſariorum conditione: horum omnium peritum eſſe Imperatorē oportet, ut ſingulis opportunè uti poſſit. Quæ autē multiplici armaturæ generi ad inſtruendam aciem conuenire poſſunt, præter ea quæ ipſa rerum temporumq; neceſſitate excogitari poterunt, ſummatim percurram.

Equitatum itaq; tuum nō ut uoles, ſed ut tempus & ſtatus rerum te coget, diſpones. equites enim tuos oppoſitè ad equitatum hoſtilē ſtatues. Verùm quoad fieri poteſt, eo modo locabis, quo

Equitatus diſpoſitio.

quo solent instrui in cornua acies: ut & ad frontem, & ex lateribus spaciosioris loci commoditate freti, expeditius possint prodire, equestriq; munere uti, nullis post se ordinatis, qui possint esse eis impedimento. Velites autem iaculatores & ferētarios, sagittarios demum ac funditores primos in phalāge locabis. Nā si ponè sequent̃, magis suos quàm hostes malè afficient. Sin medij inter ipsos statuent̃, irritum erit eis peculiare pugnandi officium, quippe qui nec pedem referre commodè possint ob iaculorum pilorumue sursum uersus porrectionem: nec decursu ipso iaculari à procedentibus præpediti. Multo uerò minus funditores poterunt in gyrum torquere fundas atq; tela emittere, circumquaq; militibus obsistentibus: in quos circumlatio fundę offendens, his magis quàm hostibus damno erit. Sagittarij quoq; præcedentes reliquos, in ipsa hostium corpora ueluti ad signũ rectè immittent: sin postremi aut intermedij,

Iaculatores *Funditores.* *Sagittarij.*

medij, sursum uersus sagittare cogentur. quo pacto uis ipsa telorum superiora petendo cõsumetur incassum. Rursus uerò dũ deorsum ad capita hostiũ deferẽtur: iam remisso & inualido ictu minus nocebunt.

Si autem contingat pugnam his in locis cõmitti, quorum pars humilis & plana sit, pars collibus tumulisq; insurgat: tum leuis armaturæ militem maximè in asperis atq; durioribus locis statues. Rursus si campestribus locis abs te occupatis, hostis eminentiora obtineat, huc leues milites adduces, ut qui facilius iaculari possint, simulq; pedem referre, per loca asperiora accliuia'que subire, cursu expediti & strennui. Intermittat uerò aliquid per acies interualli, ut si fortè hostibus adhuc congredi atq; manum conserere cunctãtibus, usu euenerit tela militum iã emissa atq; exhausta esse, conuerso compositè atq; imperturbatè agmine in subsidia & postremas partes restituantur: nam totũ

ambire exercitum & in cornu deflecte-
re, neutiquam tutum est, quia possunt
interea ab hostibus preueniri, & prius-
quam reliquo exercitui cõiungantur,
sequestrari. Rursus per densas copias
arte ferri, atq; perinde in arma incide-
re, perturbationẽ affert, & ordines dis-
ijcere potest. Contrà, uelitum in hostes
per cornu incursiones, plurimum ho-
stibus ipsis nocere possunt, ut qui trãs-
uerso iaculari & pila mittere, ac proin-
de nudas corporis partes ferire queãt.

Fundarum uis.

Fundarum deniq; uis pernitiosissimũ
omnium est horum quibus uelites uti
solent: nam plumbi color, colori aëreo
similis est. Proinde dum emissum plũ-
beum telum per aëra fertur, latet, ho-
stiumq; corpora improuisò atq; incau-
tè petit. Illationis uerò ui atq; agitatiõe
defricationeq; propemodum ignitum
ardensq;, uehementer ferit, penitusq;
ingreditur: nec concerni potest, quòd
labra uulneris è uestigio claudantur, &
tanquam conniuere uideantur.

At

At si hoc genere teli & uelitum ope tu quidem cares, hostis autem maximè præstat, primos aciei tuæ densos confertosq; prodire iubeas, gestantes clypeos magnos quibus possint toto corpore tegi: reliqui uerò qui hos sequuntur, ordine ad ultimos usq; sublatis supra capita clypeis, hoc pacto tantisper proficiscantur, dum intra iactum telorum ueniant: in hũc enim modum contecti, nullibi lædi poterunt emissione pilorum. Sin utrisq; adest huiusmodi uelitum auxilium, tum tui primi iaculentur in hostes, antequam ad consertionem manuum ueniãt: uel post congressionem copiarũ, hostem transuerso adorti urgeãt telis. Arctantur enim & in modicum compelluntur, & infestatione missilium tumultuari coguntur hostes.

Contra uelites strata-gema.

Quòd si deuitare uelis ne hostis te circumueniat, noli tã oblongam protẽdere aciem, ut omnino infirmior tenuiorq; efficiatũ, quam facilè possit ho-

Contra circũuentionẽ.

stis disrumpere, ac inde sibi transitum comparare, nec amplius per anfractus atque circuitus uadere, cum datis transitibus ac ordine tuorum disiecto, adoriri eos post terga possit. Quod quidē non modò cauere debes ne tibi eueniat, uerumetiam quærere ut hostibus ipse inferas.

Et si quando tenuem atque infirmam uideris aciem peditum, non adeò usque contrahas atque in basim arctes, ut eam hostis facilè possit amplecti & undique concludere. munias tantùm oportet postremas partes, nec minus q̃ eos qui uel in fronte primi locati sunt, uel per latera constituti. Nouissimus enim atque subsidiarius miles ita insinuationes huiusmodi hostium prohibere potest, ut hi qui in alas & cornua protenduntur, modò tu sis futuri prouidus, & explicata postrema agminis parte, lateribusque promotis utrinque, conuersum militem aduersus hostium aciem statuas: & his mandes qui iam antè ab hostibus circum-

cum-

cũdediti ſint, terga tergis præcedentiũ accõmodent, ac pugna ancipiti certẽt.

Solertis uerò erit Imperatoris, ubi aduerſum multitudinẽ hoſtium ſe cũ paucioribus pugnaturum animaduerterit, dare operã eiuſmodi loca ſibi deligere, uel iuxta ripas fluuij, uel ſub montes, & ſuper alia ubi aciẽ inſtruere poſſit, & ipſa natura loci hoſtes arcere quo minus amplectantur & circumcludant aciem ipſam. Pauci enim occupatis eminentioribus & præruptis locis, cohibere facilè poſſint hoſtium impetum, moliẽtium circumuenire prę multitudine: qua in re non modò Imperatoris prudentia & conſilio opus eſt, ſed multo magis fortuna. Forte fortuna ẽm plerunq; accidit, ut loca huiuſmodi rẽ noſtra adipiſcamur: neq; penes Imperatorẽ eſt, qualem uelit ſibi locorum ſitum efficere. Sed de pręſentibus meliora deligere, & quæ ſibi uſui futura ſint cogitatione proſpicere, prudentis utique eſt.

Locorum delectio.

 Ple-

Cōtra semicirculi instructionē.

Plerique solent ingentibus copijs & multitudine freti in speciem semicirculi instructi prodire, rati hostes se allicere posse, ut uel uiritim congredi uelint. quo modo mouentes, sperant sensim curuatis cornibus hemicycli & in orbē coniunctis, hostes intrà occludere. Cōtra quos non pari figura & acie est eundum, quin partitis trifariā tuis copijs, duabus partibus utramq; hostium alā aggredi debes, tertiam uerò instructā è regione sinus hostilis semicirculi sistere, neque promouere: hostes uerò si manere loco uoluerint in circuli forma, hi præsertim qui medium tenebūt locum, nihil efficiēt, quippe quibus facultas quicquam agendi adempta sit. Sin mouere incœperint, dum sese consertim de semicirculi fundo in rectum explicare nituntur, inuicem se comprimentes, dissoluēt ordinem. Loco enim manentibus his qui per reflexa latera tanquam in cornua dispositi sunt, atq; pugnantibus, semicirculus ipse neutiquam

quam poterit in rectum deduci. Soluto itaque ordine, turbatos iam triaria illa parte inuadere, & ex sinu curuato tumultuariè mouētes adoriri debes. Verùm si hostis in cōuexo immotus perstet, è contrario leuis armaturæ milites atq; iaculatores locabis, qui telorum ui eos obruant. Ad hæc, si transuersa acie totis uiribus utrinq; hostes aggredieris, & aduersus hanc semicircularis apparatus figuram moueris, nequaquam erraueris: hostes enim prohibiti diu tecum omnibus copijs congredi, in singulos partientur, & hi tantum qui per latera dispositi sunt, primi pugnam inire cogentur ob transuersūm copiarum tuarum atq; obliquū in eos impetum. Cæterùm non erit inutile, ut instructa prius quandoq; tanquam ad pugnam acie, deindeq; quasi exterritus pedem referas, ordineq; seruato similem fugæ recessum simules, rursus ad insequentes conuersus manum conferas. Nonnunquam enim opinati hostes aduer-

ſariorum exercitum paueſcentem fugam cepiſſe, præ gaudio inſultant, ſoluto ordine, & certatim incumbunt, alij alios præuenire contendunt. Contra quos conuerſum pugnare, citra periculum eſt: & ipſa ſiſtẽdi fidutia preter ſpẽ hoſtium, trepidantes hoſtes & diſpalatos in fugã uertere poterit, tametſi paulo antè inſolenter inſequebantur.

Milites ſubſidiarij.

Habeas itẽ oportet ſelectos aliquot milites, qui extra acies inſtructi, tanquam triarij, laborantibus opem atque ſubſidium præſtent, & de quibus auxilium ubi uſus ſit depromere facilè poſſis. Magnopere eñ prodeſſe poſſunt, ſi feſſis accedant integri: quippe qui & laborãtibus tuis ſuccurrere commodè poſſint, & hoſtibus iã ſolutioribus & debilitatis, recentes ipſi uigenteſq; ualidè ingruere.

Occultatio militũ quando neceſſaria.

Illud quoq; non fuerit ab re, quin admodum utile, ſi quanto tibi uidebitur ſpacio, è copijs tuis ſelegeris aliquot, qui clam hoſtibus ſeſe alicubi occultẽt:

qui-

quibus præcipias, ubi instructa acie prælium inieris, dato à speculatoribus signo, excitati properè moueãt. Quod tum maximè faciendum erit, cum auxilium expectatum uisum est in tempore nõ uenisse. Rati enim hostes id esse militum quos auxilio tibi futuros præstolabare, fortè tuis adhuc mouẽtibus, & priusquam in reliquum exercitum se immisceant; ipsi uertẽtur in fugam, nõ tot quot reuera sunt eos existimantes, sed longè plures, præsertim quando si in ipso rerum discrimine non expectati appareant hostes, imperitos rerum terrere solent, & animis pauorem iniicere. Timent enim ne quid eis eueniat peius, ac proinde formidolosè operiuntur euentum rerum.

Irruptio post terga.

Repentina quoq; in hostes post terga irruptio, formidolosissima & efficacissima omniũ est. Quamobrem si fieri potest, mittenda est noctu manus aliqua militũ, qui transuerso itinere prætereãt hostes, seq; per insidias post eos

collocent: collatis autem signis, iamq́; inito prælio, ipsi citatim ex insidijs nouissimum hostium agmen adoriantur. qui undiq; circũuenti, etiam si qua spes salutis eis reliqua esset, minimè se fugę committere audebunt: quippe qui nec referre gradum, nec anteferri cõmodè queãt, aduersarijs undiq; urgentibus.

Inualescente pugna, & cunctis utrinque non strennuè gerentibus, obequitãdo tuos hortere: simulq́; inclames, si fortè in dextero cornu es, læui cornu aciem uincere, hostemq́; & esse profligatum: sin in læuo es, dexteram aciem tuorũ uincere dices, siue res ita habeat, siue non. Mendacio enim uti, ubi ingens pugna excita est, non erit ab re. Præterea si Imperator hostium, seu rex sit, paulo remotius uersatur, siue in altero cornu, siue inter mediam aciem uoce sublata cecidisse eum affirmes, ita ut id etiam hostes ipsi audiant. Quo nuncio accepto, tui alacriores duplicatis animis rem gerẽt, hostium animi deijcientur,

Mendaciũ.

tur, simulq; desperatione in fugam se uertent. Hæc ratio plerunq; profuit; id est, ut tuos simul et hostes fallas, his quidem perniciosa, illis autem salutaria falsò enuncians.

Sapientis quoq; Imperatoris est, fratres cum fratribus, & cum amicis amicos ordine iuxtà locare. Quando enim ante oculos is in discrimen adductus uidetur quem ipsi amamus, studiosius propugnemus eum quouis periculo posthabito, amore impulsi necesse est. Cæterùm eum qui se amanter defendi uidet, pudor illico subit, ueretúrq;, necubi uicem amori repẽdere sponte negligere uideri possit. Proinde suppudet eum qui de se optimè promereatur destituere, et ad fugã turpiusculè uerti.

Amici cum amicis iuxtà in ordine locandi.

DE IVSSIS, TESseris, & signis.

IVssa quoq;, tesseræ, atq; signa præfectis copiarũ & ducibus primò dari debẽt. Singulos enim adire, & cuiq; huiusmodi imperare, rudis & admodum

dũ imperiti Imperatoris est, propterea quòd dum imperata singulis dantur, tempus absumitur, tumultusq́ interea oritur, cunctis uicissim rogantibus, & cuiusmodi sint imperata scire quęritantibus. Accedit præterea quòd nonnulli addũt aliquid imperatis, uel ob ignorantiam detrahunt. Quamobrem ducibus atq́ præfectis primò dari imperata oportet, illos deinde referre his qui sibi commissi sunt, & illos ordine reliquis, & hoc quidem pacto ad ultimos quosq́ signa atque imperata deducere. Non enim modò celeriter, uerumetiã compositè & quietè ad omnes demandabuntur. Id quod pari ratione signis per ignem dandis seruari solet. Prima enim face sublata, secundus signo accepto idem ad tertium edit, ad quartum tertius, & ille ad quintũ, quintus quoq́ ad sextum, & ad unum uicibus imparibus omnes, ut breui tempore per longas intercapedines signum à primo acceptum ad extremum ordine & imper

Signa per ignem.

tur.

turbatè peruenerit.

Signum quoq; illud quod tertio loco post imperata & tesserã dari debet, ne uoce edatur; sed uel gestu corporis, uel nutu capitis, uel manus motu, uel armorum collisione, uel hastæ uersione, uel deniq; ensis uibratione: ne fortè cõcitato tumultu, non solùm tesseræ excipiendæ miles intẽdat, sed etiam signo. Tesseram enim hostes quoq; possent cuiusmodi sit accipere, quam crebrò dari audire possunt. Signum uerò pręterquam quòd hoste clam dari potest, etiam maximè cõducere uidetur ad cognitionem alienigenarum, qui diuersa lingua uobiscum sociali iure deuincti sunt, & unà militant: qui cum nec ipsi dicere, nec alijs dicentibus alienam linguam intelligere queãt, editione signi discernere poterunt quid sociale & pacatum, quid uerò hostile sit. Quæ quidem dari distribuiq; debent, non iamiam pugnaturis, & per acies instruendas ad incertas uoces tumultuantibus, sed

Signum sine uoce.

sed multo antè per ocium & quietem.

DE ORDINE SERuando.

MAndabis quoque militi tuo, ut tum insecutiones, tum recessus ordine faciat: nam siue malè præliati retrorsumq́ue uersi, minus lædentur, quippe quos non fusos passim neq; palantes singulos opprimere quibit: siue uictores hostem fusum fugatumq́ue insequuntur, pessimè eum afficient, & ualidius opprimẽt, turmatim cõsertimq́ue procedendo: adde etiam tutius. Plerunque enim ubi hostis fugiens aduersarios post terga uidet passim & nullo ordine ferri, uno cõsensu redactus in aciẽ retroq́ue conuersus, impetu facto acriter insectatur. Quocirca nihil existimes melius, nihil salutarius, nihil tutius, quàm ordinem seruare, & loco persistere: rursus nihil periculosius atq; pernitiosius, quàm ordinem dissoluere, atque deserere locum.

DE APPARATV ET *productione exercitus ad pugnam.*

SIt tibi curæ fulgentem atq; armis illustrem exercitum ducere. Quod facile factu tibi erit, hortanti milites enses acuere, galeas, thoraces, & reliquã armaturam abstergere. Nitor enim ac fulgor armorum, formidolosum reddit acierum aspectum, & ingentem terrorem ingerit hostibus, atque animos eorum conturbat.

Fulgor armorum curandus.

Producas insuper agmen tum uociferatione tum clamore, quandoque & cursu. Eiusmodi enim facies rerum, clamores strepitusq; armorum, clangorq; tubarum, mirificè stupefacit atq; exterritat hostium animos.

Vbi proximè uentum est ut mox cũ hoste conferas manum, paulo antè milites tui strictos enses sublimes aduerso sole quatiãt crebrò. Absterfi eñ enses lucidiq; mucrones, uicissitudine splendoris ad relucentes radios & micãtem

solem

solem fulgur quoddam terribile belli ostentant. Quae etsi hostis pariter prae se ferre uidebitur, respondetur tamen hisdem, tu eum terrere debebis. sin minus ille, at tu eum perterrefacias necesse erit.

Apparatus hostiũ praeuidendus.

Instructis apparatisq; utrinq; ad pugnam copijs, nõ statim mouere debes, studio scilicet praeripiendae pugnae: cõtinere autẽ interea te propter uallum, dum apparatum omnem cõspicias hostiũ, quot, cuiusmodi quoque sint, quibus denique in locis dispositi. Hac etenim ratione commodius rebus tuis cõsulere poteris, quos quibus opponas, quem in modum copias tuas statuas atque disponas. Vt optimum decet medicum, qui exploratis prius atq; cognitis morbi causis, deinceps remedia affert, ordinabis tu tuas copias, uti maxime rebus tuis cõducere intellexeris. Saepe enim cogitur Imperator, conspecto hostium apparatu, ad armaturam eorum, ad gẽtes, ad mores hominũ, suas

quo-

quocq; parare atq; instruere copias.

Si hostis equitatu præualet, & tibi commoditas forte datur, delige aspera loca, angusta, summontana, et per quę equus facile uadere nequeat. Sin id haud datur, pugnando tantisper promoueas, quoad aptos tibi & idoneos nanciscare locos, qui rei tuę congruere possint. Intra uerò munitiones dimittes qui castris & impedimentis præsidio sint, ne animaduersa solitudine hostis militē mittat, qui castra deserta occupet, & impedimenta quęcq; diripiat.

Præsidium in castris relinquendū.

Plerique Imperatores munitiones suas demoliunt, aut traijciunt fluuios, uel denique præcipitia atq; rupes pone consultò relinquunt, ut scilicet milites perstando aduersarium superent, & uictoria potiantur, aut funditus pereant, utpote quibus euadendi facultas, siquidem ad fugā inspexerint, omnino erepta sit. Hos equidem nec laudare satis, nec contrà uituperare possum. Periculosè enim consultò rem gerere, audacię

magis quàm cõsilij est, & ad fortunam potius quàm ad iudiciũ ipse retulerim. Vbi enim alterutrum aggrediare necesse est, ut pugnando uiribus omnibus, uel uictor euadas, uel uictus omnibus euertare: quonam modo uel uictoriam prudentiæ, uel calamitatem & cladem electioni atque iudicio rectè ascripserim? Militibus etenim quibusdam honoris atque glorię studio periculosè certare permittẽdum quandoq; puto. Quòd si fortiter fecerint, haud mediocrem utilitatẽ reipublicæ sunt allaturi. Sin infeliciter præliati sint, nõ ingentẽ inuecturi calamitatem. Vniuersis autẽ copijs incerta dubiaq; fortuna, & ancipiti contentionis euentu iacere aleam, minimè probo. Illi uerò mihi uidentur errare maximè, qui in hanc conditionem pugnare uolunt, ut si uicerint, parum hostibus nocuisse uideri possint: sin superati ipsi uictique sint, maximè sint rebus omnibus offuturi: & nihilo secius eiusmodi abuti stratagematibus

Imperatorũ quorũdã error.

non

non desistũt. Atqui si exploratum iam est, & pro comperto haberi potest, calamitatem consecuturum, nisi periculosè certaris, & hostẽ funditus periturum, si semel deuictus sit: tum non mihi uiderentur errare qui fugiẽdi facultatem militi suo præcluderẽt. Satius enim est de re incerta audendo non modò calamitatem auertere, uerumetiã ut hostes male afficias quærere, quàm ignauiter & inter quietem agere, ubi certiòr esse possis, si nihil ausus sis, rem tuam penitus perituram esse.

Sed nõ modò in eiusmodi locis, ubi nulla sit certa fugientibus salus, uerùm ubiq; & quacunq; pugnãdi conditione milites admonere tuos, & omnibus rationibus edocere debes, manifestum ac certum interitum his impẽdêre qui fugiunt, quando hostibus liberum est insecutioni insistere, & nemine prohibente ad commodum possũnt aduersarios fugatos ac fusos malè afficere: mortem uerò atq; perniciem incertam

his esse qui pugnando perstant & se tuentur. Quibus si persuaseris, in re gerenda eos qui fugæ se dant proculdubio perituros, qui autem perstant gloriose denique morituros esse, calamitatẽ quoque hos consequi qui deserant locũ, non eos qui seruent ordinem: his profectò in ipsis periculis fortissimis utêris. Optandum itaque est, militem tuum hoc pacto se persuasum affectumque tibi dare. Qui enim sic animati penitusque affecti sunt, uel consummatas adipiscuntur uictorias, uel in paruas incurrunt calamitates.

Consilia Imperatori sæpe mutãda.

Excogitata uerò in ipso discrimine pugnæ consilia, & repugnandi aduersariorum ex tempore consiliis adiũctæ rationes, ampliorem nimirum gloriam maioremque admirationem Imperatoribus et disciplinam rei militaris exactè tenẽtibus peperere, quàm ea quæ præsumptione & coniectura ante copiarũ cõgressum exquisita esse uidentũ. Quæ singula significare, & de singulis præcepta

pta tradere, haud facile est. Vt enim gu
bernatores paratis omnibus ordineq́ꝫ
dispositis quæ ratio nauigandi dictat,
ex portu deinceps in pelagus soluunt:
uerùm si qua forte tẽpestas exoriatur,
non quod ipsi uolunt, sed quod facere
coguntur, exequi multaq́ꝫ fidentius au
dere uidentur, atq; urgentibus undiq́ꝫ
periculis fortiter consilia sua opponũt,
non tã memoria disciplinaq́ꝫ nauigan-
di, quàm extemporaneis si quæ appa-
rent occasionibus uti: Ita etiam Impera
torem facere oportet. Copias ita ordi-
net, ita instruat atque disponat, prout
usui sibi & rebus suis futurum animad
uerterit. At ubi tempestas belli ac mo-
les ingruat, quando multa ui quadam
frangi & immutari solent, atque uaria
adduci rerum discrimina: tum ad faciẽ
præsentium rerum & ante oculos ob-
uersantium, extemporanea per occa-
siones conquirat consilia rationesq́ꝫ, ut
fortunę necessitas magis quàm discipli
na & memoria ipsa suggesserit.

DE OFFICIO IMPE-ratoris in pugna.

IMperatorem ipsum cōsultè magis et cautè, q̄ audacter certare oportet, uel omnino potius abstinere pugna. Non enim tantopere pugnando prodesse reipublicæ poterit, etiamsi inexuperabilem quandam afferat fortitudinē, quàm obesse penitus, si cadat. Prudentia enim animi, quàm uiribus ac robore corporis magis præstare debet: quia strennuitate & uiribus corporis magis etiā miles potest grande aliquod edere facinus, prudentia uerò atq; prouidentia uti, & deliberando reipublicę opportunè consulere, Imperatorem decet in primis, pręterea neminem. Si enī gubernator omisso clauo gubernaculisq; relictis, ea quę ad nauitas attinent ipse faciat, id uidetur committere, unde pessum nauis detur. Idem Imperator committit, qui prætermisso consulendi officio, & rebus omnibus prouidendi, ad militaria usq; descendit munia.

Prouidētia Imperatoris propria

Maio-

Maiorum etenim dignitateq; præstantium temeraria negligentia, irrita auxilia quæq; facit, quibus incolumitas rerum necessariò sustentatur. Eiusmodi Imperatori par uideri equidẽ arbitror, nullo prorsus interiecto discrimine, unam rempublicam euerti debere, cũ ipse ceciderit, nec salutem eius se extincto cuiquam curæ futuram. Hunc rectius quis culpet ut ineptum Imperatorem, quàm laudet ut fortem. Qui enim consilio & prudẽtia Imperatorem gessit, felicitate suis auspicijs consecuta cõtentus iure gloriabit. Contrà, qui adeò insolẽs atq; cupidus est, ut nihil operæprecium patrari ab se posse credat, nisi manum ipse cum hostibus conferat, is non modò nõ fortis, uerũ audax quoq; & temerarius est. Quocirca in uulgus ferat prę se, studio contemnendi cuiusuis ex animo duci, quo militẽ animet, & ad res capessendas promptum alacremq; reddat: certet autem ipse cautè, & mortem quidem despiciat, atq; ma-

lit uita priuari, quàm calamitate ulla ac cepta turpiusculè superesse. Saluis autem rebus, saluo exercitu, uitæ quoque suæ prospiciat: sæpe enim rem feliciter gestam Imperatoris mors interueniēs minuit. Vbi enim hi qui malè præliati sunt, hostem Imperatore destitutū acceperūt, instauratis animis insultarūt. E diuerso hi mœrore affecti animos deiecerūt, qui etsi feliciter prẹliati sunt, desiderio tamen Imperatoris elanguerunt.

Ad Imperatorem id quoq; imprimis attinet, dum pugnat, obequitare aciē, præliantibus se ostendere, eos qui fortiter rem gerūt laudare, trepidantibus uerò minari, cohortari cunctantes, laborantibus ferre opem, supplere defectus, si quâ usus est deducere copias, tēpora obseruare, occasiones præripere, futura conijcere, receptui cani iubere.

DE REDITV EX *pugna.*

REuocatis è pugna militibus, dijs immortalibus sacra faciat, suppli catio-

cationes decernat, pompas agat, ut pro tempore uti licebit, pollicitus grato animo redditurum quæ ritè post bellum confectum & partam uictoriam exolui fas sit. Deinceps honoribus muneribusq́ eos donet, quos probè rem nauasse acceperit, & de more benignè atque liberaliter prosequatur. Ignauos autem & inertes pœna ignominiaq́ afficiat. Honores uerò eiusmodi fortibus habeat, qui patrijs moribus sunt probati. Præterea quæ ex ipso debent proficisci Imperatore munera, hæc sunto, Armaturæ, insignia, spolia, decuriæ, cẽturię, præfecturę, ducatus, alij quoq; eiusmodi magistratus. Verùm pręstantioribus uiris & magistratus gerẽtibus ampliores debent haberi honores: priuatis autem decernãtur minores. Hæc etsi liberaliter & benignè pro meritis cuiusq; dari consueuerunt, irritamenta præterea ad uirtutem sunt cæteris, qui huiusmodi honorum sunt cupidi.

Imperatoris munera quæ esse debeant.

Vbi uerò bonis præmia pro meritis

Premiũ & poena.

 repen

rependuntur, malorum autem suppli-
cia nequaquam dissimulantur, uniuer
sum exercitum optima spe affici est ne-
cesse. Alij enim timentes pœnam, pec-
catis abstinent: alij honorũ studio du-
cti amplectuntur uirtutem.

DE VICTORIA.

Victoria uerò potitus aliqua, non modò singulis militibus uiritim dare præmia rei bene ab se gestæ debebis, uerumetiam uniuerso exercitui laborum suorum fructũ aliquem ex hostibus elargiri benignè. Permittes quoque militi castrorum, impedimentorũ, & oppidorũ, si qua iure belli in tuam uenerunt potestatem, direptiones: urbium deniq; , præterquã si fortè de eis consultius quicquam foret deliberandum. Hoc enim rebus omnibus uehementer conducet, præsertim si bellum nondũ confectũ consummatumq; est. Eiusmodi namq; emolumentis atque compẽdijs penitus allectus miles, promptiorẽ se animatioremq; cæteris in re-

Direptiones.

bus

bus præstabit. ni putes uenaticas quidem canes sanguine intestinisque captæ feræ illecebrari à uenatoribus utile esse: uictori autē militi deuictorum bona in prædam dari non expedire.

DE DIREPTIONE.

DIripiendi autem potestatem militi tuo nec semper, nec aduersus omneis passim concedes: corpora uerò minimè in direptionem uenire permittes. quæ abs te uenundentur, siquidem pecunia publica opus est, & ingenti sumptu. Qua in re quæcunque uel agi uel ferri possunt, ad te conuehi palàm edices. Optimè enim tu constituere poteris, temporum atque rerum habita ratione, an cunctam prędam retinere, an partem, an denique nihil debeas. Non enim è re est, in bello gerendo ærarium publice pecunia abundare, & emolumentis in dies obuenientibus militem fraudare: quādo pręsertim ob deuictorum opes & locorum felicitatem, emolumēta militi largius & benignius impar-

partiri possunt.

DE CAPTIVIS.

CAptiuos uerò bello adhuc stante ne occidito, præsertim eos aduersus quos bellum primò susceptum est, etiamsi forsitan uiderẽtur socijs occidendi. Minimè autem omnium hos interimere debes, qui autoritate apud hostes præstant, & illustres insignesq́; gloria sunt, recordatus incertæ fortunæ atq; uariæ & mutabilis sortis, quæ plerunq; amat rebus feliciter gestis inuidere, & comparatæ gloriæ obtrectare. Commutare autem potes, & ijs redditis siue oppido aliquo potiri, siue amicos captos redimere, quorũ tibi ingens sit desiderium. Verùm eiusmodi commutationem hostibus recusantibus, iure tũ pariter ulcisceris illorũ iniuriam.

DE EPVLIS ET *ludis.*

EXanclatis demũ periculis, & per magna rerũ discrimina uictoria parta, extruantur militibus tuis epulæ,

decer-

decernant describendi ordine loci, instituantur ludi, & laborum permittantur laxamenta atque remissiones: ut explorato iam uictoriȩ exitu, & his cognitis quib. per uictoriã frui liceat, æquanimiter tolerare discant difficultates & discrimina belli.

DE OCCISIS SEpeliendis.

PRospiciendum deinceps erit tibi & uehementer curãdum, ut desideratis exequiȩ magnificè exoluantur, nec tempus ullũ aut horã aut locũ aut periculum causaberis, siue uiceris ipse, siue uictus superatusque sis. Nam ut piũ est mortuis iusta exequi, & per religionem ritè inferias agere: ita magnopere utile superstitibus, & omnino necessaria res est, pietatem hãc erga defunctos tuam ad uiuos ostendere. Quisque enim maximè de se iudicat & uaticinat̃, atque rem ægerrimè fert, tanquam sepultura cariturus, si pugnãdo ceciderit, ubi animaduertat ante oculos iacere cadauera,

ra; & propè per contumeliam & contemptum Imperatoris busto & humatione priuari.

DE VLCISCENDIS *cladibus.*

SI quam uerò pugnando calamitatem acceperis, obseruabis diligenter occasionem nancisci ulciscendę cladis atque delendi dedecoris, hoc maximè solaturus milites tuos qui tibi reliqui saluique sunt. Solent enim plerunque qui uictoria nuper potiti sunt, negligentius dissolui, & incautius rē suam tueri. qui enim hostes nimis contemnit, is pariter se inertem & incautum efficit. Quamobrem plerunque felix rerum successus magis nocuit, quàm accepta clades. Qui enim aduersante fortuna semel lapsus est, euentu iam edoctus atque erroris admonitus, deinceps cautior degit. Contrà, nescit modestè se continere in rerum prosperitate, qui nondum est expertus aduersa: nec si uincat is, eādem affert prouidentiam, ne quid de-

trimen-

trimenti faciat, quippe qui insolenter negligit. quam utiq; attulisset, ut hostes incautos atq; segnes malis afficeret. Timere enim ubi opus sit, & tempus hoc postulet, prouidentis sibi cautè est: contemnere uerò omnia & ab re parui facere, audacis quidẽ, sed eius qui se cuiuis iniuriæ accipiendæ opportunum & habilem reddat.

DE INDVCIIS.

SI inducias pactus es, caue interea in hostem irrumpas. Nec propterea tu ipse incautus sis, sed quo ad hostes, ita quietẽ agas, ut in pace: quo ad te uerò, ita tibi prospicias, ne quid accipias aduersi, tãquam si bellum gereres. Par enim est induciarum tempore, nec priorem quicquam præter ius fasq; hosti inferre, nec incompositum te omnino & inermem esse. Quin præ te feras tibi cauere, & hostium insidias simultatemq; suspicari. Latent enim incertiq; sunt eorum quibus cũ fœdus percusseris sensus. Quamobrem in te ratum

id

id esto, nullam uelle te inferre iniuriam ad iusiurandum per fœdus adactum, hostibus autem nolle credere ob perfidiam. Quo pacto cautus simul prouidusq́ue uideberis, qui ne uolẽtibus quidem hostibus fœdus frangere, inuadẽdi tui occasionem reliqueris.

Vltio an ad deos reijciẽda.

Qui uerò ultionem iniuriæ quam accepturi fortè sunt, ad deos immortales reijciunt, hi tametsi piè sentire, non tamen in tuto rem suam locare mihi uidẽtur. Stultum enim admodum & absurdũ est, propterea abs te pericula nõ propulsare & tibi minus prospicere, quòd speres perfidiæ & fracti fœderis pœnas eos daturos, qui te irreligiosè damno malisq́ue affecerint: haud secus atq́ue si tibi salus incolumitasq́ue reditura sit, simulatq́ue hostes pœna affecti sunt: quando præsertim licet tibi, rebus tuis saluis impietatem hostium experiri ac etiã deprehẽdere. Quo pacto tu quidẽ insidijs petitus perfideq́ue tẽtatus, haud lęderis: hostis uerò impius arguet̃ esse,

iam

iam te læsurus, si potuisset.

DE CIVITATIBVS IN *deditionem clementer alliciendis.*

Ciuitatibus quæ sponte tibi concesserint, & per deditionẽ in potestatẽ uenerunt tuã, humaniter & clemẽter usus, allicies reliquas. spe eñ eadem quæ cæteri consequendi adducti, facilè sese dedunt. Qui enim simulatq; potitus est urbium, acerbum se & difficilem exhibet, diripiendo, trucidando, lacerandó ue: cæteras urbes abalienat, & sibi bellum difficile & uictoriam insperatam reddit. Quisq; enim maximè ubi uictorem inexorabilem fore & iracundum in uictos exploratum compertumq; habet, quæuis agere pati'ue mauult, quàm ultro se dedere. Nihil enim tam animos generositatis implet, q̃ timor impendentis mali, quod quisq;, si cedat, se perlaturum intelligit. Credita quoque calamitas euentura, si quis se suaq; sponte prodiderit, ingentem solet animis cupiditatem repugnandi in-

 sere.

ſerere. Aduerſus autem deſperãtes, periculoſa atque difficilis eſt omnis experiundi contẽtio. Qui uerò nihil humanius & lenius ſibi futurum ex deditione ſperare poſſunt, quàm ſi pugnando ui ſuperati eſſent, quæuis malunt pati cõtrà pugnãdo. Vnde Imperatoribus ſtultis profectò & efferatis, diuturnæ urbium obſidiones efficiunt, nonnullæ etiam irritæ & infectę, nec minus periculoſæ atq; fallaces.

DE FIDE PRODITORIBUS *ſeruanda.*

IIs qui tibi rẽ aliquam per proditionem nauaſſent, promiſſa & fidem ſeruare debes, non tam propter eos, q̃ pro his qui futuri ſunt: ut intelligãt eis deberi gratiam qui partes tuas amplecti maluerint, & ſe facilius ad eiuſmodi beneficia uertant: qui enim proditoribus elargitur, magis ipſe beneficium accipit quàm dat. Quocirca ad referendum gratiã huic generi hominũ promptior ſis, quippe qui non ultor proditæ

ur-

urbis, sed tuæ patriæ Imperator consti tutus sis.

DE NOCTVRNIS PRO- *ditionibus, & siderũ cursu tenendo.*

AD irruptiones autẽ, & per proditionem nocturnas hostiũ opprimendorum occasiones, non omnino rudem & imperitum te esse oportet cursus motusq; siderum. Plerũq; enim horum ignoratione, irrita facta sunt insidiari uolentium consilia. Quandoq; enim forte aliquis proditor, tertiam seu quartam, uel quotam uis tecum constituit horam noctis, quam uidelicet idoneam arbitratus sit uel ad reserandum portas, uel aliquot interimẽdum ex custodibus urbis, uel deniq; præsidium aliquod hostium ex improuiso opprimendum. Ignorata deinde hora iã con stituta, in alterutro peccet necesse est, uel citius quàm oporteat accedendo, & inde prius quàm proditor rem curauerit, ab hoste deprehendaris, uel prohibearis id cõsequi quod moliri uideris:

seu si serius prestituto tempore uenias, proditoris cōprehēdendi perimendiq; causam des, & tute tibi impedimento sis quominus rem efficias. Quas ob res te oportet cogitatione conijcere & diligenter considerare, quid itineris quo spacio temporis tibi exequendum sit: deinceps meatus siderum contemplando, quid exegeris iam itineris, quid reliquum sit, tecum exactè cōputes: ut nec citius nec serius æquo ad ipsam præstituti temporis horā præsto sis, & priusquam hostis te aduētare intelligat, ipse iam intra mœnia sis.

DE VRBE INTERdiu occupanda.

VErùm si interdiu urbem seu oppidū aliquod per proditionem capturus moueas necesse sit, per ipsum tēpus profectionis aliquot præmittes equites, qui quotquot offenderint in uia comprehendant, ne quis ex agro cursu in urbem ueniēs, copias tuas iā iam irrupturas enunciet; quin derepen

te

te incautis improuisisq; hostibus ipse instructa acie appareas. Vbi uerò subitò in eos nihil huiusmodi ne suspicantes quidem irruperis, etiamsi per proditionem res agēda non sit, ex edicto certandum erit tibi pro uiribus nulla intermissione interiecta, & quàm maximè properandum, ut hostem præuenias, siue castello, siue castris, siue urbi deniq; admouendum est, tum præsertim cum paucis præes copijs, & hostili manu inferioribus. Repētini enim & inexpectati impetus, quòd præter opinionem eueniunt, magnopere solent hostem mouere, etiamsi uiribus superior sit. Nam cōspectis irrumpentium copijs, & deliberandi spacio sumpto, recuperatis animis cōtemnere iam incipiunt, & rem fidentius gerere. Quo fit, ut plerunq; primi impetus & rei gerendæ initia formidolosiora uideri soleāt, quàm si tardiusculè & per moras procedas. Quamobrem usu plerisq; euenit, ut subitario & festino impetu, hostem

iam exterritũ trepidantemq́; facilè coë-
gerint, ut uel se sponte subijceret, uel
etiam inuitus imperata admitteret.

DE OBSIDENDIS *urbibus*.

AT in obsidendis urbibus, Imperatoris maximè uirtus desideratur: militaris quoq; astus, & machinamentorum apparatus requiritur. Prospicere autem tibi debes, necubi incautiorem te ipsi quos obsides opprimant. Etenim qui se obsessos uident, ij quid mali sibi ingruat, si neglexerint, intelligunt, & sibi accuratius cauent, obseruantq́; quâ obsessorem lædere possint: quippe qui citra periculum se esse existimans, aliquid eorum quæ proposuerat agit cum uult. Qui autem in periculo se putat cõstitutum esse, occasionem obseruat: quam nactus, præuenire cõtendit, & aduersum hostem patrare aliquid. Quamobrẽ oportet obsessorem fossa & uallo, stationibus & præsidijs quoque castra sua munire: propterea quòd

quòd quicquid ipse paret, quid'ue fa-
cturus sit, hostis eminus uidet: contrà,
ij quos tu obsides, murorum obtentu
tecti ex improuiso plerunq; effusi ex-
plicatiq; per portas, uel opera & machi
namenta tua incēdere, uel milites tuos
opprimere, uel quicquid eis in manus
uenerit, perficere possunt. Quæ mini-
mè aggredientur, si propter portas tam
magnas quam paruas, quâ exitus de
urbe pateat, manum aliquam statueris
militum, qui eiusmodi repentinas irru
ptiones incursionesq; arcere possint.
alioquin poterunt occultis irruptioni-
bus hæc sæpe tentare.

Noctis commoditas.

Maximo autem tibi usui erit, si quæ-
cunq; tentare uolueris, noctu aggredia
re. Formidolosior enim res ipsa uideri
solet ijs aduersus quos inita est, propter
tenebras, si noctu geratur, propterea
quòd quid fiat discerni nō potest. Quo
fit, ut atrocior sit suspicio, maioremq;
trepidationem animis concitet, quàm
si res cerni posset. Vnde motus quidā

oriuntur atq; tumultus, & mentis compos esse potest nemo. Quin pleraq; fieri dicunt, quę minimè facit hostis: cum per noctem intelligi satis nequeat quã instet, quibus'ue scalis quid moliatur. Discurritur uerò passim huc atq; illuc, & ubiq; concitantur clamores, trepidationes, atq; turbulentissimi motus. Timor enim futurorum fallax uates, quæ in suspicionem ueniunt, hæc ipsa futura esse uaticinatur. Et quicquid noctu agas, tametsi paruum sit, horrēdum ijs uideri potest quos obsides: nullus em̄ dicit quod uidet, sed quisque maximè quod audit propter tenebras refert: & sicunde unus & itē alter murum ascendisse ex hostibus apparuerit, uniuersas iam copias muros occupasse rati, in fugam uersi pinnis propugnaculisq; desertis abeunt.

Timor.

Et si opus aliquod manu præproperè expediri uis, primus tu omnium manum affer. Vulgus enim non tam minis compellitur quoduis agere, quàm

uere-

uerecundia reuerentiaq; maiorum mouetur. Vbi uerò singuli Imperatorem uiderint primum omnium operi manum industriamq; afferre, tum properandum esse intelligunt, & cessare eos suppudet, detrectare quoq; timẽt: nec iam quasi seruus & imperio miles subditus ægrè affectus, sed tanquam ad ęquam functionem laborum uocatus, pudore adductus uenit.

Quoniã multa ac uaria sunt tormenta bellica, & ad quatiẽdas euertendasq; urbes diuersa machinamenta, tu non his omnibus, sed quibus cõmodè possis, utêris. Non enim est in me nunc singula pręcipiendo referre, quibus uidelicet usus sit, arietibus inquam, testudinibus, uineis, turribus, balistis, pontibus, alijsq; id genus operibus et machinamẽtis. Fortunarum enim, opum, uiriumq; belligerantium eiusmodi sunt, artificij quoq; opificum & architectorum, atq; ad ea construenda affabrè ingenij & solertiæ. Sed quod ad Imperatoris

Tormenta bellica.

toris prudẽtiam in primis attinet, illud mihi uidetᷣ esse, unam aliquam potissimùm urbis seu oppidi partem deligere cui opera & machinamẽta admoueat. Non eñ facilè possis totã ciuitatẽ ambire, & omnes eius partes tormentis atq; operib. aggredi, nisi fortè paruũ & angustũ oppidũ sit. Partitis igitᷣ multifariam ordineq; dispositis tuis copijs, reliquas urbis partes oppugnare, et muris scalas afferri iubebis: ut undique ciues oppugnari se sentiãt, & huiusmodi rei difficultate tẽtari: nec satis constituere possint, cui potissimùm urbis parti succurrere debeant. Siue eñ neglectis reliquis partibus ei tãtũ intẽderint cui tormenta admota sint, milites ad scalas dispositi, nemine ꝓhibẽte facilè muros ascẽderint: siue partiti per oẽs partes opẽ quisq; pro uirili afferre cõstituerint, illi q cõtra machinamẽtorũ & operũ uim oppositi erũt, tãtã molẽ pugnæ urgentẽq; uehementius Martẽ sustinere atq; depellere pro paucitate nequibũt. Quã ob

obrem erit operæpreciũ plures partes urbis prę te ferre aggredi uelle, ut diuerso apparatu uarioq́ꝫ oppugnandi genere uires ciuium atqꝫ consilia distrahas, atqꝫ animos distinere possis, & huc atque illuc rapere & diuertere. Interea tu facilius illac ubi summa ope nixus intentusq́ꝫ sis, ciuitatem opprimes, & uti corpus aliquod occupabis.

Oppugnationis continuæ ratio.

Verùm si properes, & maturè oppidum aliquod aut urbem, aut castra & uallum expugnare contẽdas, animaduertas autem iã tuos milites labore affectos defatigari, neqꝫ rei tuæ expediat negocium intermittere & militẽ remouere à pugna: partias tum oportebit in ordines tuas copias, habita ratione copiarum numeri, atqꝫ amplitudinis urbis. Tũ prima uigilia incipiens, æquo præstituto unà pugnandi tempore, instructa acie pari spacio, studio rem gerendam inibis. Ei succedet itidem altera, & tertia illi: quarta quoqꝫ & quinta uicissim, si tot opus sit. Interea uerò dũ

una

una pugnat acie, reliquæ ordine quietem agāt et somnū capiāt. Nocte tandē exacta, prima luce ordinem repetas, negociumq; per partitas acies uicibus distributum ad orbem cōtinuetur. Qua ratione utrunq; sequet, ut die noctuq; sine ulla intermissione pugnet, et fossis integri uicissitudinaria refocillati quiete succedant. Nec arbitretur aliquis obsessos ciues eodem uti posse cōsilio, eodemq; dispositos ordine, quanquam multi sunt, pari ratione & uice imperturbate inelaborateq; repugnare. Quisquis enim ut se in id discriminis constitutum intelligit, etiāsi copia indulgendi somno præstari uidetur, haud inducit animum: quippe qui ingruentis periculi animaduersione uigilare compellitur, tāquam ciuitate peritura, interea dum somno sese & quieti dedat.

At dicet fortassis quispiam: Quid? Imperatorē ne ipsum ex adamante uel chalybe cōflatum fabricatumq; putas, ut omnibus in rebus quæ uniuerso exerci-

ercitu per intermissiones alternis uicibus impertiuntur, solus perpetuò uigilet, & nunquam quieti concedat? Non equidem id ab eo efflagito: sed quieti interdum se dare, somnum'que capere non impedio, modò id modicè fiat, & somnus breuis sumat. Atq; interea aliquis ex fidelissimis et fortissimis, qui ue existimatiõe secũdas imperij partes obtineat, deligat, & rei curandę pręficiat.

Imperatoris quies & somnus.

Quandoq; illæ urbium partes quæ rupe quadã & præcipitio uel aliter natura munitæ sunt, maiorem occasionẽ oppugnatoribus urbis potiundæ uisę sunt præstitisse, quàm illa mœnia quibus arte & manu robur & munimen est adiectum, & propterea inualidiora habentur. Solent enim quæ sunt natura munita, negligentius custodiri, nullis excubijs militum, nullis uel paruis uigilijs omnino adhibitis. Quo loco solers Imperator eiusmodi fretus occasione, excogitare poterit quid sit faciundum: inducetq; aliquot eorum qui auda-

Vrbiũ difficilimæ partes tentandæ.

daciores sunt, tum pręmijs, tum etiam pollicitationibus, ut per ipsam loci difficultatem scalis seu alioquin ascēdere tentent. Quòd si fortè ascenderint, & intra muros clàm uenerint, portam aliquam urbis magnā uel paruam occupent, & aperire panderecꝫ contēdant. Magnopere autem huic rei profuerit, si quo pacto tubicinem aliquē foris per murū sursum attraxerint, qui derepente occipiat canere. Audita em̄ hostilis de muris tuba, præsertim nocturno tēpore, ingentem ciuibus terrorem incutiet, opinantibus urbem iam captam esse, & sese penitus expugnatos: proinde trepidantes, portas stationesq́ꝫ quisq́ꝫ deserent, & quâ singulis commodum uidebitur, passim diffugient. Quocirca reliquis tuis militibus rei exitū præstolantibus, facile iam erit repugnante omnino nemine, uel effractis portis ingredi, uel scalis muro adhibitis scandere. Hac ratione possis uno quodam tubicine, & hoc ipso inermi, urbē aliquā cape-

Tubicine inermi urbs capta.

capere, penitusq; potiri.

DE VRBE CAPTA.

VRbem si ceperis aliquã, quæ & multitudine & robore ciuiũ uigeat, ut inde tibi timendum sit, ne ciues conglomerati crebris conuersionibus oppositi tuis repugnent, siue eminentioribus locis obtẽtis supernè tuos malè afficiãt, uel tandem in arcem sese recipiant, unde posthac per occasiones irrumpãt: eiusmodi statu rerũ, edicas palàm oportet, eos qui arma abiecerint, & sponte se ijs exuerint, minimè ab milite tuo occidi debere. Quisq; enim id quod sibi capto euenturum opinatur, prior ipse inferre uult, & præuenire cõtendit. Hinc pleriq;, hostes iam in urbẽ captam infusos sæpe ui repulerunt: uel si id minus facere potuere, in arcẽ munitissimam se receperunt, unde rursus laboribus & ærumnis hostes afficere potuerunt, ut iterum obsidionem parare coacti sint diuturniorem superiore,

quan-

quãdoq; etiam laboriosiorem per multa rerũ discrimina. Enimuero celebrato passim edicto tuo, cuncti fortassis, sed plures certè arma abijciẽt. Qui em̃ hosti irati adeò sunt, ut armis experiri fortunam cupiant, in suspicionem adducti an idem secum reliqui sentiant ciues, ad armorum abiectionẽ & ipsi ueniunt. Hoc fit, ut etiã uolẽtibus omnibus armis atq; uiribus uti, priuatim tamẽ quisq; mutua & alterna suspicione commotus, dubitansq; ne solus relinquat̃ armatus, arma ponere properet. Angustia enim temporis ac rerum, no uum excogitatumq; consilium palàm fieri haudquaquam sinit. Verùm qui saluos se cupiunt, & saluti omni opera suæ indulgent, quamdiu nulla spes salutis oblata est & edicta, quanquam uero ex animo, necessariò tamẽ malis quę sibi inferri uidentur, repugnant. Vbi uerò uel paruam salutis spem sunt adepti, tũ supplices ex hostibus facti, obuiam ueniunt. Quas ob res eiusmodi edi-

edicto etiam eos quibus rem suam armis uiribusq; tueri animus erat, ut arma abijciant, planè adduxeris.

DE DIFFERENDA IN *uictos ultione.*

MOrs quæ militi certanti accidit, nulla prorsus indiget consolatione aut misericordia: quippe quę uirtutis studio & uincendi amore obtigerit. At post partam uictoriam urbe iam expugnata & capta, uictos passim occidere uictoribus ipsis. miserrimum est, atque stultitiæ & immanitatis magis q̃ uirtutis testimonium affert. Nam esto infestus infensusq; uictis debellatisq; sis, non propterea arbitrari debes uel tuæ existimationis, uel rerum omnino tuarum ullam iacturã facere, quòd hostes non, simulatq; oppressi sunt, ferro succubuere. Potes enim per ocium omni repugnandi summoto periculo, deliberando constituere, quemadmodum hostem deuictum haberi conueniat.

DE VRBE ARMIS *inexpugnabili.*

SI desperaueris eam quam obsides, urbem posse ui armisq; expugnari & capi, & proinde obsidionem diutius ducere tibi necesse sit, pariterq; arbitreris diuturnitate atq; fame te urbis huiusmodi potiturũ, quotquot per regionem & agrũ inuenies, capias: & ex his eos qui tibi uidebuntur strennuitate & robore corporis atque flore ætatis ad pugnã & certamina apti, secernas, quibus, ut tibi cõmodum erit, & rebus tuis intelliges expedire, utare. Mulieres uerò & pueros, cæterosq; qui uel confecti senecta sint, uel alioquin imbelles & imbecilli, in urbem intrare compellas: utpote qui eorum quæ pro urbe tuenda desiderantur, nihil omnino efficere uel conferre queant: uerùm ad cõsumendum citius alimenta, reliquis ciuibus adeò possint esse damno, ut magis hostes quàm amici & ciues haberi possint.

DE

DE IMPERATORIS *modestia post partam uictoriam.*

POstea deniq; q̃ imperio tuo res feliciter gesta consummataq; est, ita ut bello confecto rebus omnibus adhibere finẽ iam tibi liberũ sit, noli te exhibere pro felicitate elatũ atq; acerbum, quin potius clementẽ et mitẽ, benignũ quoq;, & proinde cũctis amabilem. Illa enĩ inuidiam pariũt, hęc ęmulationẽ et studium prouocãt. Siquidẽ inuidia est dolor ex aliorũ bonis subortus: æmulatio uerò, studiũ imitandi uicissim aliorum uirtutẽ. Quę tã inter se differũt, ut inuidẽtis quidẽ sit, optare ne cui bene quippiã ueniat: ęmulantis autẽ, cupere ęquè ea potiri posse, quæ alij honestè sibi cõparauere. Vir ergo bonus, nõ modò patriæ multitudinisq; armatæ erit optimus dux, uerumetiã perpetuandę propagãdęue suę glorię citra periculũ sapiens Imperator atq; custos & moderator diligentissimus.

Inuidia.

Aemulatio.

ONOSANDRI FINIS.



RAPHAELIS VOLATERRANI DE PRIN-
cipis Ducisq; officio, & De re mili- tari opusculum, ex nobilißi- mis autoribus.

Dionis præcepta de principe.

QVANDO autem princeps cōmuni societati bonoq; diuinitus datur, de hoc item ac ijs quæ ad eum pertinent dicam. Dion qui Romanam scripsit historiam, ponit, Augustum quandoq; de restituenda rep. cogitantē, ad consilium Agrippam et Mecœnatem adhibuisse. Igitur alteri, tuendi imperij: alteri Mecœnati, di-

dimittendi, uitęq́ priuatę partes tradit, magnis utrinq; rationibus. Scripsit etiã separatim de Regno treis libros. In his primum præceptũ Regi, ut deos colat atq; ueneretur: quos si quis impune prę terire posse putat, is eos aut prauos aut stultos opinatur. Deinde homines cu ret atq; amet, si & ipse redamari cupit. Nam uerisimile non est, nec natura pa titur, diligentem non diligi; cum ui- deamus canes equosq́, magistros cu- ratoresq́ suos circumludere, eisq́ blan diri. Posthæc labores amplectatũ, sper- natq́ uoluptatem, quæ inter cætera ma la possidentem se non diu perfrui sinit. At labor diutius laborantem sustinet atq; adiuuat. Milites, cõmilitones ap- pellet, hominumq́ se magis patrem & pastorem, quàm dominum uocet. Do- mini appellationem non solùm inter li beros, sed etiam inter seruos fugiẽdam censeat. Sese magis multitudinis na- turæ, quàm suæ accommodet. Præte- rea liberalitate præditus existat, nec du

bitet benignè faciendo sibi defuturum aliquid: cum ea sit conditio donantis, ut magis gaudeat quàm qui accipit.

Præter omnia sit ueritatis ac simplicitatis amicus, eamq; uti regiam uirtutē cōsectetur. Astutiam uerò ac fraudem uti seruilia putet. Nam uilia animalia ea potissimè sunt, quæ insidiantur. Laborantium circa se hominū, præsertim militum, rationem habeat. Ad bellum omni tempore paratus existat: sic enim pax in sua magis fuerit potestate.

Plato in Critone, regnū probat unū totius orbis, ad dei similitudinem: ita tamen, ut in aliјs locis dicat: Senatus autoritas ad consiliū adhibeatur. Ratio, quoniam nulla essent bella, nulli tumultus, dum unus omnium potiretur. Debet & pastoris modo præesse. Sicuti apud Homerum scribitur, qui uocat Agamēnonem ποιμένα λαῶν. id est, pastorem populorum. Nam & mitē, & ferè ęqualem ciuibus se præbere debet, tantùm iustitia ac prudentia superiorē. Quòd si quis

quis reperitur huiusmodi, etiamsi priuatus sit, à Deo est rex constitutus. Nã non populus causa gubernatoris, sed contrà gubernator causa populi fit. Pręterea uti bonus musicus debet in rep. ciues instituere, ut inter modestiã fortitudinemq́, quandam seruent mediocritatem, ueluti acuti grauisq́ nerui cõcentum simul commixtum ac contemperatum: ut ne per nimiam modestiam imbelles adeò reddãtur, ut quum opus fuerit, patriã uiribus & audacia nõ possint defendere: & ne rursus adeò audaces, ut pacis statũ ferocitate perturbẽt.

Aristoteles in Politicis etiã ex omni rep. Monarchiã probare uidetur, adhibito senatu. Hęc ego cum alio in loco dixerim, hic repetere supersedebo.

Isocrates orator uitam priuatam ac principis duabus orationibus eleganter expressit, ad Demonicum, & Nicodem Regẽ. Ex hac ultima huiusmodi sunt uerba conuersa: Amicos tibi delige, nõ omneis, sed nec cũ quibus uolu-

 ptaria,

ptaria, sed optima regni perficias. Tales præpone negocijs quæ ipse non cognoscis, ut pro eis quæ illi gerũt, sis redditurus rationẽ. Fidos puta, non eos qui tibi blandiuntur, sed qui castigant. Da sapientibus loquendi libertatem de his quæ ipse ignoras. Discrimẽ habe eorum qui tibi cũ beneuolentia obtemperant plus, quàm qui cum adulatione: ne plus improbi à te ferãt, quàm boni. Ama eos homines, non qui in publico cum timore obtemperant tibi, sed qui priuatim secum tuũ magis animum quàm fortunã admirantur. Sis exemplo modestiæ cæteris. Nam τὸ δὲ πόλεως ἦθος ὁμοιοῦται τοῖς ἄρχουσι. id est, principibus similis est mos ciuitatis. Quam Plato sententiam expressit: Tales solent esse ciues, quales in rep. principes. Hos imitatus epigrammatista:

Et domini mores Cæsarianus habet.

Prosequitur Isocrates. Pluris existima bonam famam præ multis diuitijs. Simile & huic Salomonicum: Melius nomen

men bonum, quàm diuitiæ multæ. Salllustius uerò non longè ab his: Diuitiarum & formæ gloria fluxa atque fragilis est, uirtus clara æternaque habetur. Prosequitur etiam Isocrates: Quæ dicis aut recipis te facturum, tanquam rem sacram obserua. Amicos tibi beneuolentia ac liberalitate para. Inimicos animi magnitudine subige, ἡγούμενος ἡδονῶν, οὐκ ἀγόμενος ὑπ' αὐτῶν, id est, ducas, nō ducaris à uoluptatibus. Ex omni rep. meliora ad imitādū tibi delige. Nihil iratus facias. Peccata citra merita plecte.

Xenophon. Sunt qui putent principem sumptibus & uictu & lautitia præstare oportere. Ego potius eum & prudentia, & diligentia, laboreque cæteros antecellere debere existimo. Idem: Præstat regem gratiarum, quàm tropæorum hæreditatem relinquere.

Diotimus. Tria regi oportet esse: Religionem, Iudicium, & exercitum. Primum, ad se probandum. Secundum, ad suos continendos. Tertium, ad ho-

ſtes propulſandos.

Homerus duo præcipua tribuit Agamennoni: hoc eſt, ἀμφότερον βασιλεύς τ᾽ ἀγαθὸς, κρατερός τ᾽ αἰχμητής. Geſſit utrunq; bonus rex, idem & in agmine fortis. Quod carmen Alexander Macedo ſemper commemorare ſolebat.

Thales. Principis felicitas, ut ſenex ſecundũ naturã in ſuo lectulo moriatur.

Anacharſis. Si ſapiens fuerit.

Cleobolus. Si nihil his qui proximi ſunt credat.

Chilo. Si non curauerit timeri.

Pittacus. Si ita ſubditos diſponat, ut timeãt nõ ipſum, ſed quę ſunt ex ipſo.

Socrates. Si ſibiipſi prius ſciat imparare.

Solon. Si Monarchiam democratiæ proximam ciuibus reddat.

Demetrius Phalereus hortari ſolebat Ptolemæum Philadelphum, ut libros plures de regno cõſcriptos perlegeret, quòd in ipſis plura reperiret, quorũ amici reges uererentur admonere. Cæſar quoq; Auguſtus huic ſimile, teſte Tran-

Tranquillo, excogitauit: ex omnibus enim autoribus utriusq; linguæ, tantùm ea quæ ad remp. administrandam pertinerent, excerpere solebat.

Ego uerò tot sapiētum dictis, quæ & ipse sentio, quæq; ex usu uidi, adijcere nō uerebor. Duas maximè res in his q̃ præsunt cæteris, esse oportet: bonitatē, & doctrinā. Prima præstat, tantæq; uirtutis erit, ut si per se nō sapit, uiros adhibeat sapientes. Huiusmodi fuit Alexāder Imperator, qui quanquam puer, iurisconsultos et matrē prudentissimā rebus præfecit. Præterea tot sancti principes in nostro dogmate, alioquin idiotę, reip. utiliter præfuere: ut Henricus, Stephanus, Ladislaus, Leopoldus, alijq; innumerabiles. Ipsa quoq; citra bonitatem doctrina nonnihil etiam proderit, magnumq; in agendo auxilium suppeditabit. In hoc genere extiterunt Cæsar ipse & Claudius princeps, quorum alter quanquā tyrannus, alter uerò ignauus, præter historias ab se scriptas, utilia

mul-

multa edidere ac publica monumenta. Hadrianus item, & Dionysius Syracusanus. Inter pōtifices autē, Bonifacius VIII. uir doctus, alioquin seditiosissimus, multa & præclara ab se gesta reliquit. Sixtus IIII. Theologia munitus, quamuis bellis continuò inutilibus orbem uexauerit, tot tamen pia templa restituit, totq; ad hominum usum facientia gessit. His uerò qui utrunq; prȩstāt, nihil in rebus humanis perfectius optatur, ut Augustus fuit, & Titus, & M. Antonius, et Iustinianus: inter pontifices Damasus, Gregorius, aliiq; plurimi. Qui autē neutrū retinent, hi omnino postremissimi hominū. Ex his Sylla crudelis legitur fuisse, quem unum Cæsar admirari solebat principem reip. sine literis extitisse. Deinde Nero, Caligula, Heliogabalus, Commodus. Et quando utrūq; seculum connectimus, apud nos Paulus II. Innocētius VIII. Alexander VI. à quibus in suas cupiditates complura erogata, nullum ad

usum

usum reip. Christianæ publicum extat monumentũ. Hæc quidem commemo rasse non ab re fuerit, ut hi qui quoquo modo prẹsidentes hominibus degunt, sciant quantum piaculi admittant, quã tum' ue extremo iudicio sint obnoxij, si libidini potius quàm conscientiæ seruierint, quum non unum hominem, sed innumerabiles quandoq; populos simul cum re Christiana præcipitent.

DE TYRANNIDE, EX *Xenophonte.*

DEINCEPS de Tyrannide, quæ est excessus legitimæ Monarchiæ. Ad hunc igitur locum uisum est mihi Xenophontis libellum de Tyrannide ex Græco breuiter epitomare, ubi tota Tyranni uita conspiciatur. Simonides poëta uenit ad Hieronem Siciliæ Tyrannum: quem nactus ociosum, his aggreditur uerbis: Dic quæso Hiero, Tyrannus an plus cæteris gaudeat in

Simonides & Hiero.

his

his quæ sensum attingũt. Negat ille, dicens magis dolere, minusq́ gaudere his qui uitam ducãt mediocrem. Tũc Simonides, Incredibile (ait) si sic res habeat, quónam modo multi hoc adfectant & extollunt. Tunc Hiero utriusque uitæ inexperientiam accusat, infertq́ quòd tãtùm extrinsecus tyranni putetur beati: nam quo ad uisum pertinet, nos ob suspicionem et metũ spectaculis multis et celebritatibus priuamur, ad quæ uos acceditis securi. Et quanquam pauca ex multis quandoq́ domi uidemus, ea quidẽ cara, magnoq́ à nobis empta sunt. Simonides: Si in spectaculis damnũ facitis, at auribus oblectamini, semper uestras continuò laudes nullũq́ cõtumeliæ uerbũ audiẽdo. Nemo enim tyrannum coràm accusat.

Hiero: Ecquid putas nõ audiẽdo malè propterea lætari, quando quis manifestè uideat quòd tacentes malè sentiãt? Laudes uerò, si quæ proferũtur, ex adulatione prouenire. Deinde Simonides:

des:

des: At in hoc priuatis superiores estis, quòd epulis lautioribus gaudetis. Nec hoc quidem, Hiero ait: quando satietas ocyus ex ciborum superfluitate irrepat, adeò ut fastiditi quandoque priuatorum exoptent frugalitatem & famē, multoque magis proximi et circa nos adstantes securi ex hac lautitia gaudent.

At in Venere, inqt Simonides. Huius etiam in uita uoluptate priuamur, Hiero ait: quòd amore (quo sine nihil est delectabile) minimum capiamur. Non enim amor in paratis, sed magis speratis uersatur uoluptatibus: haud aliter quàm si quis sine siti bibat, sic ille uoluptate quidē fruitur sine uoluptate.

Tunc Simonides: Illa saltem quæ cogitatis, celerius assequimini, quæ multa sunt & uaria: præstāteis equos, arma pulcherrima, ornatus mulierum, domos magnificas, preterea posse amicos facilè iuuare, inimicis uerò officere.

Ad hoc Hiero: Multa quidem à nobis possidentur, quæ admirabilia et adspectu

ſpectu pulchra uidentur, attamen noſtris animis grauia, per quę felicitas lõgè ab hominib. abeſt. Præterea pace, ſummo hominis bono, carẽt: ac bello, ſummo item malo, abundant. Priuatis enim per pacis fœdera bellum deſinit, at Tyrannis nũquã. Nulla eẽ pax inter eũ & ſubditos interuenit, non fœdera quibus conſulere poſſint. Et paulo pòſt ſubdit, quòd firmiores ſunt priuatorum amicitiæ ac beneuolentiæ inter ſe, & maiore charitate neceſſitudines ſeruant, quàm Tyranni: quorum pleroſq; uideas filios necantes, aut fratres inter ſe de regno decertantes, nullis legibus aut fœdere aut humana ratione teneri. Quin fide, maximo inter mortales bono, priuantur, cum minima ſit omnibus ſub eis degentibus: quippe qui neq; potui, neq; cibis etiam prægustatis confidere ſatis queunt. Cumq; leges alibi cædem prohibeant, contaminatisq; ea propinquare ac congredi: Tyrannos tantùm qui interficiũt, non

ſo-

solũ nõ expellũtur, sed magis honorãtur, & in sacris etiam locis ac templis ciuitatum, eorum imagines collocantur. Neq; (quod paulo antè dixeras) adsentior, uidelicet omnia citius à Tyrannis perfici. Nã & priuatus aut agrũ, aut seruum, aut his simile optabit: Tyrãnus autem ciuitatem, aut regionem, uel arcem munitissimam, quæ difficilia sunt obtentu. Sed & pauperes priuatos pauciores adspicias quàm tyrannos, si non ad numerum diuitias, sed ad usum & indigentiam iudicamus. Nam si plura quàm indigeas habes, multa possides: si uerò pauciora, parũ. Tyrãnus enim quanquam multa possidet, minus tamen ei sufficiũt, quàm necessarij sumptus priuato. Cui etiã de quotidianis impensis remittere aliquid interdum licebit: Tyrãno autem nequaquam sine periculo. Deinde quid opus misereri eorum ut pauperum, qui possunt ex honestè partis tantùm uiuere, & ea facilè habere quorũ indiget usus? Qui

uerò ob egestatem cogũtur aliquid turpe committere, quomodo non hos miseros & uerè pauperes putabis? Hi tyranni sunt, qui omnia coguntur expilare & capere ob necessarios & maximos sumptus, semper pecuniam quæritantes. Necesse quippe habent erogare in custodias aliaq́ꝫ his similia, pro tuẽda dominatiõe uitãdisq́ꝫ periculis. Graue etiam illud, quòd uiros bonos, quos amare cuperent, timere necesse est: fortes, ne quid audeant libertatis gratia: prudẽtes, ne quid aduersus machinentur: iustos, ne cupiant ab illis populi gubernari. Deniq́ꝫ tãtùm improbis in uita Tyrãnus diligit, qui per eius mortẽ scelerum sub eo perpetratorum pœnas se daturos timent. At honores (inquit Simonides) qui maximè hominis sunt & deorum, uos retinẽt. Nec hoc quidem, Hiero ait: cum hi maximè honores oblectẽt, qui ex amore gratiaq́ꝫ, nõ ex metu procedant, sicuti suprà de uoluptate Venereq́ꝫ dixi. Quid quæso (Simoni-

Tyrãni qui

monides inquit) in his sponte persistitis malis, nec tyrannidem relinquitis?

Et hoc miserũ præter omnia, Hiero. ait, cũ soli Tyrãno nec tenere rẽ malã, nec dimittere cõducit. Quomodo eñ tot cædes, rapinas, exilia, totq; facinora cõpẽsare aut psoluere priuatus sine periculo posset? Et hæc quidẽ Xenophõ.

Plato in IX. de Rep. Tyranni uiuũt tanq̃ uinculis quibusdã deuincti formidinũ omnium & armorũ, solisq; in ciuitate minimũ egredi aut peregrinari, aut quicquã eorũ quę alij liberi solent. Domi præterea totos dies more fœminarũ resident, uerentes ciuium inuidiam.

Phalaris in epistolis: Veniã quidem do tibi monitionum, quippe qui tyrannus nunquam fuisti. Tyranno cõsulis ponere tyrannidem, nescius quòd tenêre imperium securius est quàm ponere. Si uerò alterutrum sit optãdum, malim ego sub tyranno quàm tyrannum esse: quòd unum tantum timerem, à cæteris malis omnibus liber. Tyrannus

autẽ metuit tam externorum insidias, quàm eorum per quos seruatur.

Demosthenes, οἶμαι ταῖς πολιτείαις ἡ τύραννις ἄπιστος, καὶ ὁ βασιλεὺς ἢ τύραννος ἅπας ἐχθρὸς ἐλευθερίας καὶ νόμοις ἐναντίος. Puto enim Tyrannidem infidam esse rebus publicis, omnemq́ue regem aut tyrannum inimicum per se libertati ac legibus existere.

Aristippus ait regem à tyranno distare, ut libertas à seruitute. Huic cum Dionysius dixisset nihil ex eius philosophia iuuari, nihilq́ue utilitatis ferre: Vera (inquit) loqueris. Si enim te iuuissem, tyrannidem iamdiu posuisses.

Antigonus ad uetulam, à qua beatus dicebatur, ait: Si scires sub hac ueste quã fero quot lateant mala, nũquam eam in cœno iacentem ferres.

Ptolemęus Philadelphus dicebat: Cũ tyrãnus multa ferat incommoda, tum illud pręcipuum, quòd cogitur eos qui minimè nocuerũt, utilitatis gratia quãdoq́ue interficere.

Ari-

Aristoteles in Politicis nullam ait tyrannidem annos centum excessisse.

DE HIS QVI CONTRA *tyrannos coniurant.*

PHILOSOPHI plures patrias suas tum alienas liberare à tyrannis tẽtauerũt. Quod nequaquã laudi tribuendum, ut qui specie uirtutis, suam potius gloriam quàm populorum cõmoda quęsiuerint. Ego philosophorum in primis putauerim, in ocio & quiete, doctrina populos potius iuuare, & ad uindicandũ in libertatẽ animos magis quàm corpora admonere. Nam si uetera quàm noua repetere uoluerimus, inueniemus malè plerunque huiuscemodi uiris euenisse.

Plato in Siciliam studio eam liberandi profectus., infelicem habuit exitum, dum uix ipse incolumis euasit.

Zeno Eleates Nearchi Mysij tyrannidem euertere tentans, deprehensus,

 dum

dũ uarijs supplicijs torqueretur, socios coniurationis minimè prodidit: sed eos qui Tyranno erant fidissimi calumniatus, ut illi morte damnarentur effecit.

Dion item in Dionysium coniurando, postremo & ipse perijt.

Ab eodem quoq; Python exul Rheginus benignè exceptus, cum Rheginis consilia per literas manifestaret, diro supplicio absumptus est.

Apollonius quoq; Tyaneus à Domitiano, contra quem cum Nerua coniurauerat, in compedes cõiectus. Gallus & Lucanus poëtæ, ob eandem diuerso tempore causam periere.

Deniq; hi qui Cæsarem interfecerũt, quanquam uoti compotes, non toto uertente anno cuncti (teste Trãquillo) extincti sunt. Hoc uerò sęculo, ut in historia suprà ostendimus, quàm multas talium infelicitates conspeximus. Feliciter tamen res hæc nonnullis auxilio patriæ ciuiumq; successit, ut Armodio & Aristogitoni Hippia ex Athenis

sub-

sublato. Sic demũ Saturninus, Gracchi, Flaccus, interfecti: quod Sylla metuẽs, ut securius (sicut ipse dicebat) dormiret, unus omnino est ausus adreptã semel tyrannidem ponere, dictatura se abdicãdo. Quibus profectò exemplis, diuina illa præcepta magis ac magis audire admonemur: Dominus non tantùm bonis, sed etiam dyscholis, Christi caussa esse obtemperãdum: Seruis fieri liberos minimè curandum: deniꝗ; Cæsari quæ sunt Cæsaris reddenda.

DE RE MILITARI, ET *primùm de officio* Ducis, *ex* Xenophonte.

I XENOPHONTIS libello ἱππαρχικῷ, id est, de officio magistri equitũ. Ante omnia deos orare oportet, uti nobis ea dicere ac facere tribuãt, quæ & nobis & amicis, tũ patriæ saluti ac gloriæ sint. Posthæc equites recẽsere. Quod nisi sedulò faciamus, sępe nume

rus intercidit aut senio, aut alia de causa. Deinde equos prouidere, uti boni sint ac laboris patiẽtes, neu strigosi, neu calcitrones, qui inter alios inutiles sunt, sępeq́ cum res agi oportet, turmas dissipant, ordinesq́ rũpunt, equitẽ quoq́ bonũ inutilẽ reddunt. Neu incessu tardus, ob hoc firmos habeat pedes. Eius indicium, cum alij alia, ego id ostẽdam, uti egressus præsepe, in uiam lapidibus cumulatam de industria ducatur: in ea neq́ consistere, neq́ quiescere poterit. Tum alterum signum, ut pedes habeat oblõga rotũditate figuratos. Post equos equites inspiciendi sunt, uti boni conscribant, corporis uiribus ac facultatibus idonei, naturaq́ dicto audientes: quo sine, nihil pręclarũ geri potest. Pręterea pacis tempore exercẽda iuuentus ac docenda, uti in equum quàm aptissime ac uelociter insiliat: quod magnũ pręstat bello adiumentũ. Deinde in equũ in locis salebrosis et aditu difficilibus ire adsuescat. Ipse eques simulacra belli flectendo

ctendo & reflectendo excitet, nũc prosequendo, nũc se recipiendo, nunc in orbem simul cõsistendo: sicuti in celebritatibus deorũ ac theatris. Iaculũ ex equo quàm longè iacere cõsuescat. Denique seque ac equum armis idoneis contegat. Populus enim Atheniensis XL. talẽta quotannis erogat, uti paratos habeat equites, quãdo usus aut necessitas ingruit. Ipsi propter hoc iusta exercitatione uacare non debent.

Tempore belli, oportebit magistrum equitum in itinere prouidere, ut exercitus moderatum faciat iter: tũ loca equis opportuna capere, curandique corpora militibus spatium dare. Si quando loca adire angusta contigerit, exercitum in cornua disponere, sic tutius ibit: cũ largior se uia præbebit, frõtes dilatare. Cũ uerò in campum apertumque locũ peruenitur, in phalanges exercitũ instruere. Si uerò suspecta itinera locaque difficilia declinanda, quoad fieri potest, in aliam semitam & in partes cohortesque proce-

 dere.

dere. Cuique autē cohorti ministros adsignare, ne si fortè usus aut necessitas rei militaris uenerit, equitatus dissipetur aut abscedat. Præterea ultimi qui sequuntur, semper expectandi, ne ipsi occasione consequendi magistrum equitum, nimio labore equos adficiāt ac cōterant. Occultos præter omnia exploratores habere, qui omnia referāt, tum etiam custodias.

Ipsum magistrum equitum peritum regionis esse oportebit: quod pacis aut induciarū tempore facere poterit. Valde enim refert, ipse'ne, an per alios iter faciat. Quod si ignorauerit, à mercatoribus ex proximis ciuitatibus exploratores capiat. Nam huiuscemodi genus fidele ob spem lucri aduenientium fuerit. Nec tamē ita fidat quamuis amicis, ut agmen propterea non iubeat intentum ac paratū procedere, ac si præsentē hostē haberet. Nā multa possunt accidere præter spem in bello, quę subito indigeant auxilio, interdum dimicatione.

In

In discessu utilius fuerit per denuntiationẽ principum exercitus, & illorũ ad subditos moueri, q̃ per præconem: ne hosti cõsilia pateant. Pręter autẽ omnia illud præcipiendũ, ut inuigilemus insidijs, si qua hostẽ uia aggredi, aut oscitãtem, aut imprudentẽ, aut sine ordine ac cura proficiscẽtem. Nam his artibus sæpe animalia rationis expertia, maiora se petunt ac conficiũt: ut mustela cortales aues, & miluus: & lupus ingẽtes tauros ac armenta: cum antè prouiderint quà sese tutò recipiant, tutoq́ aggrediãtur.

Optimum item fuerit consilium, partem semper hostium debiliorem aggredi, quamuis lõge sepositã: præstat enim maiorem aliquantulum subire laborẽ, quàm cum fortioribus maiore periculo pugnare. Nunquam enim cum potentiore agmine aut hoste congrediendũ. Oportebit enim simulatione interdum uti: hostemq́ uana specie deludere: uidelicet, cũ pauci sunt, uideri plures: cũ plures, rursus uideri paucos. Item cum

di-

discedimus, uideri præsentes: præsentes autem cum simus, uideri absentes. Denique cũ maximè debiles sumus, metum incutere hosti: cum uerò potentiores, metum simulare. Quę omnia intento ac diligẽti magistro facilia factu erũt.

Vt pauci plures uideantur.

Primo namque ut pauci plures uideant͂, confertim est ambulandũ, ac procul ab hoste: sic enim puluerem maiorem excitabunt. Præterea cum hastis longis aut similibus hastis in manibus, peditũ uerò turbam pedibus colludere: ex motus enim uarietate res maior apparebit: tũ iumentis alijsque huiuscemodi simul ingredi.

Vt plures pauci.

Vt uerò plures pauci uideantur; si uiarũ recessus & obtorta fuerint, partem exercitus in his occultare. In campis uerò apertis sparsim ac palantes incedere, utilius, & lanceis uti rectis ac breuibus.

Pręliaturi sese ad cursum & labores exerceãt, ut possint militibus necessaria suppeditare, fossas transilire, muros transcẽdere, flumina tranare discãt, tãto excel-

excellentius, quanto peritus ab imperito, ac uidens à cæco differt. Id autem cauendũ, ne equis ad cursum aut prędam utatur saginatis aut saturis, ne labore absumantur. Magister equitum ephippijs & habenis ad usum equorũ abundabit. Parua quidẽ impẽsa facultatem opemq́ʒ præbet militibus indigentibus opportunam.

In congressu uerò hostiũ adhuc illud moneo. Sunt enim quidam qui contra eos quos inferiores uiribus putãt, cum mediocri conatu & imbelli turba occurrendum arbitrãtur. Ex quo illud quod inferre cogitãt, sępe ipsi reportant. Rursus uerò contra eos quos putãt superiores, toto conatu atq́ʒ omni exercitu procedunt. At ego cõtrà iudico. Aduersus illos qui inferiores putantur, eundum omni ui ac conatu: neq́ʒ ẽm quenquam pœnitet nimis uicisse, cum uicit. Item aduersus illos qui superiores existimantur, cum paucis atq́ʒ melioribus congrediendũ. Nam pauci melius prosequentur,

tur, & diligentiores erũt: & si quid accidat, melius ac celerius se recipiẽt. Nõ em̃ dico, quòd pauci sint, ideo laboriosiores et celeriores: sed quòd difficile fuerit paucos reperire qui multos curẽt equos ut oportet, ac seipsos solertes ad equitatum prębere. In magna uerò multitudine magna cõfusio. Si quid accidat, alter alterum trudit, difficilius se recipiũt: ac alius quidem ex equo malè ephippiato corruit, alius ob equi tarditatẽ non subsequitur, alius item ob loci iniquitatem peribit. Adde quòd non multi sunt qui terrorem incutiunt in bello, sed tamen strennui.

Si autem cum paribus cõgrediendũ, existimauerim non inutile, ut ex custodijs duæ acies fiant, & alteri Tribunus præsit, alteri is qui post eũ magis strennuus uideatur. Hic cum tribuno exercitus caudam sequatur, & cũ hostis propinquat, statim primus prouolet. Sic enim ex insperato ruens perterrefaciet hostẽ. Si pedites utriq; habuerint, ij oc-

culten-

cultentur post equites, simul ipsi ex insperato unà corruent. Videntur enim mihi longè maiora ea uideri, siue bona siuè mala, quę inexpectata ueniũt. Ex quo quis considerare potest, quòd qui in sedibus suis inuaduntur, quãuis plures numero sint, magis pertimescunt. Meliores enim partes sicuti actoris sunt quàm rei, sic pręmeditati quàm impræmeditati, et inuadẽtis quàm inuasi. Pugnãtes etiã inter se hostes, primis quidẽ diebus timidiores sunt, procedente tẽpore nequaquam.

Illud pręterea difficilimum, reperire equites fortes ac utiles ad decertandũ. Signa uerò sunt, si pulchrum aliquid aut fortis uiri gestum, & cum laude cõiunctũ audire gestiũt, ac dicto audientes sint: ij enim perferre ac tolerare facilè poterunt quę cognoscunt. Pręterea si celeriter quis persequitur inimicos, aut celeriter se recipiat, maximè hostem infestat, & ipse tutus erit. Tum si ex ordinibus aliquos sibi sumpserit, & de im

prouí-

prouiso excurrat, ac eos qui se recipiant inuadat. Hæc & his similia oportebit sæpe & legere & scribere. Tum meditati si quid accidere possit: quod non est aliud quàm futura preuidere. Maximã enim commẽtationem arbitror, ut quæ quis esse utilia nouit, cogitet quónã modo id exequi possit. Rectè eñ cogitata neq; in agricultura, neq; in re nauali, neq; in imperio aliquid proderunt, nisi meditemur quomodo ea perficiamus.

Equitatus mille equitum, congruens numerus, & facilis ordinari, & inter se concordiam habet. Ex peregrinis uerò totum, aut ex parte cõstare, maximè probatur. Peditatus his utilis magnopere qui adsistat. Hęc igit̃ (ut in exordio dixi) deo iuuante ac fauente fieri debent: nec mirum, si id sæpe repeto. Quoniam adire periculum extra bellum, haud mirandum sanè. Sed in bello, ubi hostium uersantur insidię, quę occultę hominibus sunt, dijs autem manifestę, is maximè potietur, qui ab his potissimùm diligetur

getur aut per sacrificia, aut omina siue somnia. Et hæc quidem Xenophon.

DICTA DVCVM.

NVNC dicta Ducum quorundam subijciam. Agesilaus dicebat, oportere ducē habere tria: erga quidē inimicos audaciam, erga subditos beneuolentiam, erga temporum opportunitates rationem.

Epaminondas uidens pulchrum exercitum sine duce, Video (inquit) pulchram bestiam sine capite.

Philippus solebat dicere, se malle exercitum ceruorum cui præesset leo, quàm leonum, cui præesset ceruus.

Iphicrates belli dux, cum in sociorū regione contra hostes uallum firmaret, fossamq́ faceret, cuidā dicēti quasi hæc superuacanea, quid timemus? respondit: turpe esse ducem (si quid accideret) dicere, Nō putauerā. Quod dictum Cicero Scipioni Aphricano tribuit.

Annibal pollicenti cuidam philoso-

pho de arte militari docere, cũ nunquã fuerit in acie, non opus (inquit) exercitu sine tuba. Cicero Phormionē hunc fuisse ait, qui coram Annibale ausus est de re militari disputare. At ille interrogatus quid de tanto philosopho iudicaret, Se ait uidisse deliros multos, sed nullum magis delirare quã Phormionem.

Idem, cũ apud Antiochum à Scipione, qui eò legatus fratri uenerat, interrogatus, qui sibi dux pręcipuus uiderẽt, respondit, Alexandrum: deinde Pyrrhum: tertiũ se. Quid (inquit ille) si me uici sses? tunc, ait, & Alexandro & Pyrrho me prętulissem. Liuius lib. XXXII.

Timotheus interrogatus quid differret ars militaris à Rhetorica, quantum (inquit) pax à bello.

Lamachus dux cum cohorti peccanti irasceretur, illaq́ nõ amplius hoc faciam dicenti, respondit illud prouerbium: οὐκ ἔστιν ἐν πολέμῳ δὶς ἁμαρτάνειν. Nõ est bis in bello peccare.

Alexander interrogatus quõnã modo

do

do tam breui tempore orbem ſubegiſſet, Conſilio (inquit) & uiribus, & arte ubi opus eſſet noua.

Xenophon in III. Commentariorū probare nitit̃, quòd boni ducis & boni Oecònomi officia penè ſimilia ſunt. Reddere primū ſubditos ad obtemperandum faciles, malos caſtigare, bonos munerare, præſentem ſubſtantiam cuſtodire, diligentem ac laborioſum eſſe ad obeunda officia, præterea decertare quando opus eſt, Oeconomiam maximè iuuare.

Demades captus in bello apud Chæroniã à Philippo, interrogatus ab ipſo inter epulas, dum mentio de generoſitate Athenienſiū incideret: Quã bene, inquit, ſe res haberet, ſi Philippus Athenienſibus, & Chares Macedonibus imperaret. Chares enim dux fuerat in bello ubi ipſe captus. Hæc ex Stobœo.

Thucydides: Pulchrè certantibus tria eſſe oportet: uelle, erubeſcere, & obtemperare.

Demosthenes: οὐχ ὁμοίως οὐδ᾽ εἷς ὑπέρ τε τοῦ πλεονεκτεῖν πολεμήσειεν ἂν, καὶ τῶν ἑαυτοῦ, ἀλλοτρίως μὲν, ὡς ἂν ἐλαττῶνται μέχρι τοῦ δυνατοῦ πάντες πολεμοῦσι. ὑπὲρ δὲ τοῦ πλεονεκτεῖν, οὐχ ὁμοίως, ἀλλ᾽ ἐφίενται μὲν, ἐάν τις ἐᾷ. ἐὰν δὲ κωλυθῶσι, οὐδὲν ἠδικηκέναι τοὺς ἐναντιοῦντας ἡγοῦνται: Non enim ſimiliter quis in adipiſcendo ſicut in ſe ſuaq; tuendo pugnauerit: ſed longè aliter. Nam ut omnes ne ſua perdãt uiribus omnibus quibus poſſunt utentur. In acquirendo autem, tantum quis cupit, quantum permittitur ab hoſte: ſi autem prohibetur, nihil amplius moleſtare aduerſarios putat.

Cæſar in Cõmentarijs Pompeiũ imperitię militaris accuſat, quòd in acie Pharſalica, in cõgreſſu, ſuis ne ſe mouerent imperauit, ſed expectarent impetum hoſtium. Nam innatũ dicit eſſe ardorem quendam in animis hominum, ut clamore motuq; magis excitentur.

PA.

PARALLELA STRA- *tagemata.*

PER diſſimulationē quãdoq; hoſtes uti deſperent, aut terreantur.

Apud Caſilinum poſt longam obſidionē rapa prope mœnia ferebant, ut hoſti deſperationem deditionis facerent.

Vicinioribus ſæculis Ladislaus rex Pãnonię inter ſanctos connumeratus, aduerſus Polonos & Cracouiam pugnans, poſt diuturnã obſidionē, ut oppidanis opinionē copiæ faceret, montem uicinum farina conſperſit. Rati illi regem non deſiturum, ſeſe dediderunt.

Iuſtus quoq; & ipſe ſanctus præſul Volaterranus, ut Manlius de Capitolio Gallis, ſic in obſidione Vãdalorum dicitur panes de mœnibus ieciſſe. Sed hæc eis de non Chriſtianis licuere.

Seſe etiam quandoq; principes aſtutia à periculis ſubtraxerunt.

P. Rutilius Rufus, ut author Cicero in oratione pro eo, cũ à Mithridate Mitylenis oppressus esset, crudelitatẽ regis in togatos, uestitus mutatione uitauit.

Alexander III. Pontifex Maximus, habitu serui Venetias fugiens, manus Federici subterfugit.

Isidorus Cardi. Rutenus, grẹcus homo, Constãtinopoli legatus, dũ ciuitas à Turcis caperetur, habitu uillici sumpto, se XXX. aspris, paruo, admodum captum redemit.

Boëmundus Roberti regis Siciliẹ frater, ab expeditione Hierosolymitana rediẽs, transiturus necessariò per loca Alexij impe. inimici, se loculo clausum uti mortuum ferri iussit, eoq; modo euasit.

Nicolaus Picinnius dux Philippi uicecomitis, in oppugnatiõe Brixiensi profligatus, per hostium castra transire coactus, in culeo inclusum à lixa se transferri mandauit incolumem.

Annibal item apud Liuium, ut inuidiã Fabio crearet, possessiones seruasse scri-

ſcribitur. At ille, ut ſuſpicione careret, publicaſſe.

Idem, Vrbini dux Federicus Laurentio Medici noſtra ætate in bello Florentino fecit. Non tamen ille ut Fabius.

Prodigia inſuper & rerũ euentus in bonam uertuntur de induſtria partem.

Scipio apud Frontinum contra Annibalem proficiſcens, cum in deſcenſu in littore corruiſſet, Teneo te, inquit, Aphrica. Quod Tranquillus Cæſari adſcribit.

Chabrias Athenienſis fulmẽ de cœlo ueniens in caſtra, Iouis optimum ſignum dixit.

Sulpitius Gallus eclipſim expaueſcentibus militibus, cauſam naturalem adduxit.

Philo Hebręus cũ legatus Romę cauſa excidiſſet, pro qua uenerat, turbatis omnibus Iudęis ait: Nũc fratres optimè ſperandum de Deo, qui tunc maximè adeſt, cum hominum æquitas & auxilia deſunt.

Demosthenes autem in oratione, re malè cōtra Philippum gesta, ad rursus animandum, causam in negligentiam Atheniensium traduxit; maximeq́ʒ sperandū, si officio diligētiaq́ʒ utātur, dixit.

Specie etiam superstitiosa turbę continent: ut Sertorius cerua, Maumethes uaticinijs, & hodie Sophi apud Persas uelata facie more Mosis turbas alloqui dicitur, præireq́ʒ exercitum, ac omnia uincere.

Dies quoque belli apud nonnullos obseruati. Ariouistum decrescente luna pugnare nolentem Cæsar uicit. Qui mos etiam Lacedæmonijs fuerat, ut autor Lucianus.

Titus Vespasianus item Iudęos, teste Iosepho, Saturni die superauit.

Quidam ab hostibus in loca iniqua imprudēter adducti: ut M. Crasso accidit à Spurina deducto apud Parthos. Viriatus quoqʒ Lusitanus fugam simulans, exercitum Romanum ad confragosa perduxit.

MOS

MOS ANTIQVAE *militiæ.*

VERBENAS (teste Festo) & sagmina, hoc est, gramē ex arce Capitolina cum sua terra auulsum, legatus qui uerbenarius uocabat̃, ad hostes clarigatū, id est, ad res repetēdas, ferebat. Ab his em̄ sagminibus Martianus iuriscōsultus, Sanctū appellari dicit, quod est ab hominū iniuria defensum. Fecialis item cū patrepatrato ad indicendū bellum mittebat̃. Caduceator uerò cōtrà, is erat qui pacē adferebat aut nuntiabat.

Festus item: Sub corona uenibant in bello capti, id est, coronati. Nos hodie hanc consuetudinē in equis seruamus Romæ, ut uenales fronde capiti imposita circumducātur. Idem ait sub hasta uendere, cùm hasta in foro fixa, bona damnatorum aut proscriptorū ad preconis uocē uenibant. Hic memoratur Plutarcho, cū quondam Augustus ad hanc auctionem diu adsedisset, Mecoe-

nas, cui res illa indigna principe uidere tur, tabellã inſcripſit gręcis literis, Surge carnifex: quam ſublatam in turba cũ Auguſtus inſpexiſſet, Mecœnatis ſcõma eſſe exiſtimans, ſtatim ſurrexit.

Sacramentũ militiæ.

Idẽ ait in Problematis, Qui ſacramẽto non tenebantur, licet in caſtris uerſarẽtur, nec hoſtés in prælio laceſſere, nec ferire ius erat. Quod Cato ſenior in quadam epiſtola oſtendit: ad filium ſcribẽs monet, Si miſſus factus ſit, ad urbẽ redeat. Aut ſi in exercitu remaneat uelit ab imperatore impetrare, ut ſibi aduerſus hoſtẽ pugnare, ac eum interficere liceat.

Liuius: Romani in obſidione Veiorũ Camillo duce ſub pellibus primũ hyemare cœperũt. Idem lib. IIII. ſcribit populum Ro. ſupra CC. annos proprijs ſumptibus militaſſe. Deinde Cor. Coſſo, C. Fabio Ambuſto, L. Valerio Potitio, Tribunis Mil. Conſulari poteſtate, Anxure capto, decreuerũt patres ut ſtipendium miles acciperet. Frumentum quoq; & ueſtem ultra pecunias dabãt,

equid

equiti etiam equũ. Dicebãturq; delecti & auctorati. Postremis uerò tẽporibus Matriculati et solidati. Cassiodorus, Vegetius, & Frontinus, Solidatum fuisse in militia scribunt eum, cui stipendia ab imperatore promissa erant: unde uocabulum hodie Saldatorum est.

Missionũ tria erãt genera, ut ex Marcello & Vlpiano iureconsultis colligitur. Honesta, quę tempore militię expleto datur. Causaria, cum uitio animi uel corporis minus idoneus militię renunciatur. Ignominiosa, cũ quis ob delictũ sacramento soluitur. Mercennario autẽ & externo milite primùm sunt usi Scipionibus in Hispania res gerentibus, Celtiberis in amicitiam receptis, ut autor Liuius.

Capitolinus insuper in Balbino inquit: Ro. Imperatores exituri ad bellũ, prius Nemesi sacrificabant, & munus gladiatorum dabant: primũ, quòd dea fortunæ sit Nemesis: secundum, quòd milites iam sanguini adsuescẽtes domi,

ho-

hostem foris non expauescerent.

DE DISCIPLINA, AC *pœnis & præmijs militaribus.*

DISCIPLINA quoq; prima in exercitando Tirone fuerat uarijs quidē modis, aut ambulatione ferēdo onera, aut cum armis cursitando, aut in ligneū equum insiliēdo: pręter omnia uerò ad palum. Erat autē palus imago lignea supra terrā fixa, quam hasta siue ense petebant, & tanquam cum hoste certatim congrediebantur scuto uimineo, & interdū claua grauiore, ut in uera pugna postea solutiores aptioresq; essent: aut scopo pręfixo, id est, aliquo fasce uimineo uęl aliquo signo arcu exercebantur. Hæc ex Vegetio.

In milite autem corrigendo legitur apud Liuium LVIII. Scipio Aemylianus omnes delicias in obsidione Numātiæ, uinum, scortaq; amouit: militem in opere quotidie habuit: quem extra ordinē deprehendit, si Romanū, uitibus:

si

si externũ, uirgis cecidit. Iumẽta omnia, ne exonerarẽt militẽ, uendidit. XXX. dierum frumentum ac septenos uallos ferre cogebat. Pescennius Niger, teste Spartiano, prohibuit pistores exercitũ sequi: ut omnes buccellato in locis pacificis accepto essent contenti: quærentibusq; uinum, Num habetis (inquit) Nilum uicinum? Alexãder quoq; Imper. expeditionis tempore melius putauit, ut annonã milites in mansionibus acciperent, nec cibum XVII. dierum portarent, uti solebãt. Ex quo patet quantus esset cuiusq; labor: ut nec plures duceret, uti nunc solent, seruos aut iumenta. sed ipsemet legionarius partim dorso, partim supra hastã necessaria ferebat, ut in columna Traiani uidere licet.

Pœnæ fuerant, exauctoratio circa munera meritorum præmiorumq;. Ignominia, cũ ex ordine mouebat̃, aut hordeo pascebatur miles, uel equiti equus adimeret̃. Præter omnes autem decimatio, cum decimus quisq; seu legionis seu

cohortis,

cohortis, capite plectebāt. Cicero pro Cluentio: Statuerūt em̄ ita maiores nostri, ut si à multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam animaduerti: ut metus uidelicet ad omneis, pœna ad paucos perueniret. Idē quoq; in uniuersum pœnas VIII. connumerat: damnum, uincula, uerbera, talionem, ignominiam, exilium, seruitutem, mortē. Exempla seueritatis inter cętera, uide Papirij in Fabiū, & Torquati ac Pausanię in liberos.

Pręmia uerò, coronę fuerant diuersę, aureę, murales, uallares, quęrne, gramineę, ordinū promotio, cognomentorū insignia, quandoq; & statuę, pręterea ęs donatiuū, postremo militię uacatio, quę post annos L. ex lege ueteranis dabatur, ut autor Seneca ad Paulinū. Insuper & bene meritis ager. Cęsar suis ueteranis agrū Stellatē diuisit. Ex quo res fuit non solùm utilitati, sed ambitioni, ut societas ea Stellates uocarētur: repertumq; iā in marmoribus & sepulchris,

qui

qui ſe Stellatē inſcripſerit. Sylla ſuis itē militibus Volaterranū Aretinūq́; agrū.

DE CELERITATE in bellis.

CELERITATIS, qua nihil in bello utilius, plura ſunt exēpla. Ante omneis ipſe Cæſar in Cōmentarijs teſtatur, in Arari uno die pontem conſtituiſſe: alium item ſupra Rhenum mira arte ac celeritate militum opera, decē diebus abſoluiſſe: claſſem contra Maſſilienſes nauium longarum XII. die triceſima ab exciſa materia armaſſe. Claſſis item Romanorum contra Hieronē regē, quæ CXX. nauibus fuerat, teſte Plinio, quinto & quadrageſimo à ſecuri nauigauit. Claſſis etiam Scipionis proficiſcentis in Aphricam die quadrageſimo. Ipſe quoq; Cęſar centena paſſuum milia quandoq; uno die peregit. Sæpe nuntios de ſe pręuenit.

Hanc mittendorum nuntiorum celeritatem primus apud barbaros Xerxes

exco-

excogitauit, ut tradit Cleomedes de circulis cœlestibus græcus autor. Hic em̃ bellũ Grȩciȩ inferẽs, ita frequẽs toto itinere stationes cõstituit, ut uoce alteri ab altero perlata, horis XLIIII. è Grȩcia in Persidẽ noua perferrent. Apud Romanos primus Augustus, teste Trãquillo. Qui, ut sciret uelociter quid in ꝓuincia quaq; gereret, modicis interuallis per militares uias iuuenes primò, qui sub manu uoceq; nuntiarent, deinde uehicula disposuit. Cõmodius id uisum, ut qui perferũt literas, interrogari quoq;, si quid opus, possint. Nostris uerò sæculis diu neglectam hanc consuetudinem in Italia, Vicecomitum familia renouauit, dispositis ac paratis in itinere equis sȩpe commutandis: eoq; res peruenit, ut uix credibile auditu, diebus XIII. nũcius frequens ex Britãnia Romam ueniat. Cecinna Volaterranus portẽtoso inuento hirũdines, quòd ad eandẽ domũ sint redire consuetȩ, nũtias in bello ciuili mittebat. Hircius Consul ad Decium

Decium Brutum Mutinę ab Antonio obſeſſeũ, colũbas tenebris fameq́ prius diſtentas. illæ lucis cibiq́ auidæ mœnia alta petentes, loco eſca aſſueto ab eo cũ literis collo adligatis dependebãtur. Autor Frontinus. Traduntur & nuntiatæ diuinitus uictoriæ eadẽ hora, ut de Perſeo, teſte Valerio: ut Domitio Aenobarbo à Caſtore & Polluce. Proditumq́ in hiſtoria Florẽtinorũ, de uictoria quam illi contro Gidellinos exules in Aemylia habuere: & item Innocentio. VII. de ea quam tunc cõtra hoſtes habuit uictoria, teſte Poggio qui aderat, ſimiliter euenisſe ex incertis nuntiis.

Vſus etiam apud priſcos belli tempore aut ob aliquam ſuſpitionem, per notas ſcribere, Cęſaris primũ inuento, Tranquillo teſte, ſic ſtructo literarum ordine, ut nullum uerbum effici poſſit. Habebant & ſimile quoddam Lacedęmonii in ſua Scytala. quę autem ſit, aut quomodo. in orouerbiis narraui. Noſtra uerò ætatę, Baptiſta Leo Florentinus

nus facilem super hoc artem breuibus rotulis excogitauit, quam Federico duci Vrbinati dicauit, mihiq; itē ostendit. Id genus uulgò nunc Cyphrā appellāt.

DE ORDINIBVS ET *militum exercitatione*

De ordinibus autē circa bellū Cyrillus hos ponit, Armigeros, Peltatos, Psylos, pedestris pugnę omnes: hac tamē differētia, quòd Armigeri grauis erant armaturę, secundū ritum Macedonicum rotundo scuto & longa hasta utentes. Hi Triarij apud Romanos dicebantur, postremiq; erant, ac spes ultima tanquam murus. Vnde prouerbium in periculis, Res ad Triarios redacta. Psyli leuis erant armaturæ: utebantur arcu & iaculis, & saxis iactis manu, uel funda. Peltati uerò inter utrunq; se habebant. Nam pelta utebantur, quæ scutum admodū paruum est: & hastis longè leuioribus ac maioribus quàm armigeri. Hi Ferētarij Romanis apud

Vege-

Vegetium appellantur: qui etiam ait, pedites olim ab urbe condita usq; ad Gratiani principis tempora, nõ solùm scutatos, sed cataphractos & galeatos fuisse: postea ob inertiã militum hæc nimis grauia uisa, scuto tantũ & ense, aut hasta fuisse armatos.

Totidem & equestris pugnę differentiæ. Aut equitatus, aut currus. Equites rursus aut Amphippi sunt, id est, qui alterum iuxta equum desultorium habebant, in quem cum usus esset transilire possent: Aut Cataphracti, id est, armis undiq; cooperti Aut Acataphracti, id est, minimè cooperti. Et hi aut eminus pugnabant hasta, & Doriphori, id est, hastati, uocabantur: aut ex arcu, & Hippotoxotę appellati: Aut Hippocõtistæ seu Acrobolistæ, id est, hastã eminus iacientes. Cominus autem pugnabant Xystophori & Cataphracti. Elaphri apud nos uelites dicti equites erãt leuiter armati, qui discursu faciles erãt, missiliaq; seu sagittas iaciebant.

In exercitu officia, Signifer, Vragus, Accensus, Princeps Commentariensis Cornicularius Præco, Tubicen, Lixæ quoq; ac Calones, quorũ alteri ab aqua ferenda dicebantur, quod lixam ueteres aquam, unde lixiuium, uocabant. Alteri à lignis conuehendis, ut autor Festus. Miles Centurioni suberat, Centurio Tribuno, Tribunus legato, Legatus autẽ consulis parebat imperio, Consul postremò dictatori. Ordinarij dicũtur, qui ordinibus præerant Tribun. aut principales. Augustales, qui his ab imperatore adiuncti fuerant. Accensi, quasi accedentes, qui ministerio ac seruitio publicè adijciebãtur legionibus cũ fas nõ esset, milites qui ueste & pecunia publica alebãtur, cuiquam seruire. Matriculę autem apud eundem sunt militum ordines.

Ordines uerò, Ala, Mãipulus Turma. Primũ pilũ qui ex tribus uexillis cõstat. Vexillũ autẽ. CLXXXIII hominibus. Horũ primũ Triarios habebat, ueteranos

nos & summæ uirtutis. Secundū, Romanos fiduciȩ paulò minoris. Tertiū, accensos, qui minimi roboris in postremā plerumque partē reijciebātur.

Cohors autem alia Miliaria, quæ M.D.V. pedites Equites uerò XXXII habebat. Alia quingētaria, quæ ex D.LV. peditibus, equitibus uerò XLV. constat. Huius generis. X. cohortes iustam legionem implebant. Erat enim legio diuersa. Romuli tempore primùm ex equitibus. CCC peditibus tribus milibus fuerat. Deinde aucta usq; ad sex milia peditum, Equitum uerò DC. autor Plutarchus. qui numerus etiam quandoq; diminutus, ut apud Liuiū constat. Singulis quoque quatuor legionibus Trib. mil. XVI prȩerāt. Cēturia ex CX peditibus, Decuria ex denis ȩquitibus: quibus prȩerāt Cēturiones & Decani.

Manipulus leuis ex XX. militibus: ideo leuis, quòd hasta miles, non gesa, nō armis muniret. Huius generis XV. in prima acie fuerant, ubi Tyro-

 nes

nes et flos pubescentiũ iuuentũ aderant.

Turmę ex equitibus, plerunque constabant ex tribus Decurijs. Romulus prius treis Centurias scripsit celerũ equitum Tatiensium, Ramnensium, & Lucerum. Ideo celeres, ut expeditos haberet. Festus autem dicit appellatos à Celere Remi interfectore: quibus & Tribunos præfecit, fuereque numero CCC. eò quòd singulis decurijs quæ XXX. erant. X adsciuerit. Autor Liuius.

Romanorum robur totum in legionibus ac peditibus fuerat, ut inquit Vegetius: nec ultra duas consul secum extrà ducebat. Hi lecti & iurati erant, quibus auxilia adijciebantur ex socijs. Milites prætoriani & Cohros Prętoriana, Prętori adsistebant, muneribus cęteris uacabãt. Hac primũ usus Scipio Aphricanus est. Inter principes uerò uiolentius est usus primum Tiberius, qui eam in uia Appia ad duo passuum milia retinebat, loco munito, ubi nunc caput bouis appellatur.

DE SIGNIS, TROHPAEIS, ac Triumphis.

SIGNVM militare, quod Tesseram dicebant, Ducis erat signum, quo processui aut receptui, aut ad castrorũ metationem, seu discessum disponi milites iubebantur. Tesserarij uerò, qui illud in contubernijs nuntiabãt. Eratq́; (ut ait Vegetius) triplex. Vocale, ut Victoria: Triũphus, & his similia uerba. Aut semiuocale, ut tubę uel buccinę sonus. Seu mutum, ut eleuatio dextrę, hastę inclinatio, & his similia. Ex his autẽ utilius mutũ censet Onosandrus Grecus autor, qui ad Verenniũ scribit, de re militari: eò quod inimicos lateat, & suis magis innotescat, ob linguarum diuersitatem uerba non omnibus intelligentibus. Est & Tessera apud Plautũ signũ inter duos. Hic (inquit) mihi hospitalis tessera. & alibi, Tesseram amisi.

Erãt præter hęc & signa quę ordines pręibant, Aquilę, Dracones, Vexilla,

pinnæ, cristæ, quisq; ea ferebant, Aquiliferi, Draconarij, Signiferi. hi enim simul & Centuriones pellem leonis ad terrorem in capite gestabant. Sunt & signa sphragitica, id est, signatoria, qui tabulis tabellisq; adponebantur. hæc in annulis expressa fuerât. Sylla Iugurthe à Bocho tradit i imagine utebatur. Cesar Alexâdri, Augustus Sphingis, alio quoq; alij. Vno tantùm annulo utebantur: solumq; equestris ordinis, in digito leuæ manus, quem annularium appellabant: quod inde (teste Gellio) uena cordis procederet. Preterea signa discessus, uasorum conclamatio, ad eam uocem se sumptis rebus præparabant. Signa uerò quæ hodie passim omnibus propria uidemus ab insequtêibus imperatoribus, posteamagnis uiris ob merita donari consueuerût. paulatimq; ambitio hæc ad operarios usq; transfusa, & quod longè detestabilius, ad sacerdotes, quos potius crucis, aut alicuius religiosæ imaginis picturam decebat.

Quid

Quid enim alienus uiro religione aut doctrina prædito, quã dimidia animalia, aut tessellas, aut lineas seu pilas, siue his similes nugas, suorum ineptias maiorum imitando, nulla sæpe significati one præferre. Sed hæc alterius loci. Nũc ad militaria redeamus. Vegetius itẽ ait moris Romanorum fuisse, donatiui dimidiũ apud signa deponere: quod hoc genus hominum plærumq; prodigum esset. præterea ut fidelius tuerentur eos apud quos eorum scirent esse substantiam.

Trophea spolia ue hostiũ tẽplo dicabatur: Quæ (ut ait Plutar. in Proble) pio Romarorum instituto uetustate obsoleta sarciri non permittebantur, ut uidelicet ea simul cum inimitijs quãdoq; interirent. Nec laudat Græcorum morem, qui ænea ea constituerunt ad captorum similitudinem. Cæsar potitus uniuersa Gallia, cum in Auernorum templo ensem sibi ab hoste raptum suspensum uidisset, hortantibus etiã ami

cis auferre noluit, quasi eius ibi restaret memoria sempiterna. Clipeorum etiã magna fuit ambitio, in quibus argumẽta rerum uariarum antiquitus inscribebant, ut Homericus & Virgilianus clipeus, etiã ab Hesiodo idescriptus. Romanorũ primus Appius Claudius, qui Cos. cum Seruilio fuit, anno urbis CCLXX. clipeum in æde Bellonæ dicauit. Post eum M. Aemylius Cos. cum. Q. Luctatio in Basilica Aemylia Q. Martius, qui Scipionibus in Hispania succescessit, alium supra fores Capitolij.

TRIVMPHANTIBVS quoq; hæ fuerunt leges, ut nullus ante triumphũ urbem ingrederet: sed in æde Bellonæ exceptus, de rebus ab se gestis disserebat: triumphusq; ei dicernebat, si Cos. Prętor'ue aut Dictator exercitum integrum reportasset, una acie V milia hostiũ fudisset. Post hæc in territoria triumphali ad ædem Appollinis, ubi obeliscus in C. Neronisq; principiũ circo conspicitur iuxta Petri Basilicã, portaq; trium-

triumphali, quæ iuxta pontem fuerat, nunc sublatũ è regione S. Spiritus usq; ad S. Celsum. Inde conuersa in dextrã, per uiam eam nunc celeberrimam, ac Floræ campum, ubi Pompeij ædificia fuerant, tendebat: Actaq; ad S. Angelum ac theatrum Marcelli usq; in uelabrum spectabat, ubi S. Georgius. Inde postremò conuersa, cliuum ascendebat Capitolinũ, rupemq; Tarpeiã ad templum Iouis Capitolini: ibiq; sacrificabatur. Curru bijugo seu quadrijugo uehebatur triumphans, quali sæpe in marmoribus uidemus. Equis currus, filij seu nepotes insidebant, ipsi seruum iuxta retinebat iocularia iactantẽ, qualẽ Cęsari Trãquillus fuisse dicit. Iosephus autem, Tito alatam dicit iuxta fortunã seu uictoriam adfuisse, qualem in arcubus hodie cõspicimus triumphalibus. Epulum postridie triumphans Po. Ro. dabat, ubi & Cos. inuitabat, nec ueniebant: preterea uenationes & spectacula. Celeberrimum omnium Pauli Aemylij

myl ij de Perseo rege fuisse Plutarchus tradit, trium dierum pompa. Vltimus Probi principis de Germanis, & Boëmis. Ouatio uerò longè inferior triumpho: procedebant enim myrtea corona, qua ouantes donabãtur, qui sine cæde & sanguine rem facilè gessissent. Insuper pedibus non curru ueniebat, nec militibus comitatus, sed tantùm senatu obuiam procedente. Triumphantes autem milites cum ferculis hostiũq; spolijs præcedebãt currum, captiuis sequentibus.

DE CASTRIS *metandis.*

De Castris autem metandis Higinus libellũ edidit nuper inuentum: quem Gromaticon appellauit. Est enĩ Groma (ut ipsemet in eodem declarat) ratio metandi castra, & loca in bello capiendi opportuna. In eo enim uerba sunt obscura, partim etiã uetustate corrupta, ut paruus admodum sensus elici

ex plærisq; possit. Loco eminenti iubet fieri castra, ut regioni dominentur: neu paludibus interluant, præsertim porta decumana. Secundum locum habent, quæ in plano cõstituuntur: Tertium, quę in colle: Quartum, quæ in monte: Quintum, quæ in loco necessario, unde & necessaria Castra dicuntur. Præcipuè obseruari debet uia quæ lateribus castrorũ supersit. Castra quocunq; latere flumen seu fontem habere debebunt in qualicunq; positione Iniqua loca, quæ à prioribus Nobiria appelantur, omni modo uitari debẽt: ne mons castris immineat, per quẽ superuenire hostes, aut perspicere possint, quid in castris agitur: ne sylua celatura hostes adiaceat, ne ue fossa, seu ualles, per quas obruti castris occumbere possint, ne uicini fluminis torrentis ue subita tempestate castra inundatione intereant. Meminisse oprotet, in hostico ascensus ualli duplices & frequentes facere, & tormentis tribunalia extruere circum por

tas

tas in coxis, in loco contrarium maxime instruendum erit uallum tormentis, ab eo latere, qua Nobiria uitari non poterunt. Hæc igitur ex Higino. Quæ autẽ manifestiora nobis apud alios autores comperimus, hæc sunt: Castrorũ forma uaria fuerat: quadrata, triangularis, rotunda, hemicycla. Portarum etiã uarius numerus, ubi amplissima castra quatuor tantum fuerant: minora & angustiora, duabus portis muniri tantum fas erat. Prima Prætoria fuit, qui orientem spectare, & è conspectu hostiũ dirigi consueuit: unde in omnem tumultũ acies educi & præsto parata esset. Secũda Decumana, à tergo castrorum constituta: ex qua desertores aut facinorosi milites, in quos militari disciplina animaduertendum erat, extra castra educebantur ad pœnam. Tertia principalis cognominata, ex qua princeps ordines tradere & ad edictũ conuenire, ac suorum ducum imperium exequi oportebat. Quarta post prætoriã sita. Quinta dice-

diceb atur, per quã cõmeatus in castra, & uenalia deducebantur. Inde etiã mer ces exportari, & importari ad usum consueuerunt.

DE MAGNIS EXPEDI *tionibus, ac modis belliuarijs.*

DARES Phrygius, qui bellũ scripsit Troianũ, ait, apud Ilium ex argiuorũ classe cõuenisse hominũ milia. DCCCLXXXVI. ex Troianis. DCLXXVI. Carinas circiter mille, ut autor Homerus in Catalogo. Hãc superauit Xerxis classis apud Græciam, quæ (teste Herodoto) nauium trium milium: ubi fuere hominũ Myriades XXIII. id est, CCXL. Terrestris autẽ fuere (eodẽ autore) CLXX. Myriades, equitũ uerò VIII. Exercitus sub Mose fuit DC. & tria milia, reliqua multitudo imbellis DL. Tota summa milies mille & CL. sub Iosue. DC & tria milia tantum. Sesostris regis Aegiptiorũ exercitus DC. Milium peditum, equitum, XXIIII.

Cur-

Curribus armatis XXVIII. Gallorum nuntiato tumultu, Romani sine transpadanis ad LXXX. milia equitum, & DCC. milia peditum armauerunt, L. Aemylio Paulo & C. Attilio regulo Cos. paucis annis antequam Annibal Alpes transiret. Qui & ipse non amplius quam XXXVII. milibus armatis in Italiã traiecit, ut autor Polybius. Alex. Macedo, exijt in Asiã cũ milibus armatornm non amplius XLVIII. In Hierosolymitana expugnatione (autore Iosepho) ferro fameq́ꝫ interiêre undecies cẽtena milia. Post hanc in Cãnensi pugna cędes memoratur, ubi annulorum modius inuentus. Cæsaris item in Gallia contra Heluetios ad CCC. mi. Marij contra Cimbros, Claudij secundi contra Fotos. Aetij ducis sub Valentinião cõtra Attilã apud Aquileiã. Caroli Martelli contra Saracenos in Aequitania. In quibus omnbus prælijs non minus quam CCC. milia consumpta.

MODVS Insuper belli uarius exter-

nis

nis fuit. Lacedęmonij, teste Thucydide, procedebant in aciē tibiarū modulatione. Cretenses uerò cytharæ. Messagetæ tunica induti rubra pugnant, ne sauciorū sanguis cæteros deterreat. Parthi fugiēdo post terga sagittas iaculantur. Galli certantes, ut scribit Pausanias in x. ponè duos pręsto seruos cū equis habent: ut si fortè equus domini conciderit, aliū præbeant: si dominus, equū seruent: si uterq;, pro domino pugnæ succedant.

DE MACHINIS *bellicis*.

ARIETEM, teste Vitruuio, inuenere prius Charthaginenses, cum castellū apud Gades captum demoliri conati sunt. Tignū manibus sustentātes, murum uerberabant. Deinde alia alij addiderunt.

Scorpio quoq; & ballista reperti. Hæc saxa, illa sagittas emittebat. Scorpio, quo longiora habet brachia, mol-

lius ducitur: nō minus quàm à duobus hominibus leuabatur: qua Vitruuij descriptione, satis constat nostram esse balistam, uerum aliquanto maiorem. Vegetius autem ait, antiquas balistas non solū saxa, sed sagittas grauiores ac scorpione maiores emittere. Esseq́ preterea arcubalistas, & carrobalistas, quæ paruis curriculis ferebantur. ex his aliæ uectibus, aliæ succulis polispastis, aliæ ergatis, quædam etiā tympanis torquentur: nostri bricolas uocant. Insuper alia plura in expugnationib. ponit opera.

Vineas, quę ex tabulis leuiora machinamenta erant ad expugnāda mœnia; nostri bastias uulgo appellant.

Turres uerò instar turrium ex trabibus lignisq́ ingētibus fiebāt. Vrbes quoq́ altitudine quantalibet æquabant, easq́ mobiles, ac mœnibus propinquantes constituebant.

Musculi, minores machinæ ad turriū ministerium, similitudine pisciculi qui Balænam pręit ac regit.

Testu-

Testudines diuersæ: aliæ quæ arietem protegebant, aliæ ad euertẽdos muros, aliæ ad fossas replendas, hostes à propugnatorib. mœniũ supnè defensitabant.

Plutei, ut ait Festus, crates erãt, corio crudo & intẽto operti, qui hostibus opponebantur: uocabanturq; Plutei militares. Sed & tabulę quibus aliquid pręsepiunt, Plutei dicuntur.

Præter hæc ab eodem Vegetio ponitur Onager, per quem saxa grauiora emissa, non solùm homines elidebant, sed hostium machinamenta diruebãt.

Plumbatæ item, pilulæ plũbeæ sunt, quas pedites scuta ferentes manu iaciebant. De Scalis quoq;, Sambuca, Exostra, & Telenone apud eundem leges. Quæ omnia si quis animaduerterit, in ueterũ monumẽtis Romæ cognoscet.

Malleoli, erant missilia quæ arcu iaciebantur, materiam ad comburendũ habentia. Liuius XXXVII. Aliqui uenerunt ferentes stupam, picẽ, & malleolos, Marcellinus libro. XXIIII. Alii

qui essent declarat.

Elipolis & Poliorcete duæ bellicę machinæ ad muros expugnandos Vitruuio exponuntur, altera à Chabria Arcade, altera Poliorcete, quę Demetrij fuerat, à Diogneto Rhodio, architecto reperta. Vbi obiter notãdum, malè apud eundem autorem scribi Lepidolim pro Elipoli. Tryphon Alexandrinus, cum obsideretur Appollonia ab hoste, iussit specus plures excauari, quæ ultra ciuitatis muros aliquantulum procederẽt: suspendicꝫ crebra per loca ipsius uasa ærea, ut tumultus hinc & subterraneos hostium ingressus præsentitos, uia angusta occurrentes oppidani superarẽt, quod euenit. Et hæc quidem de machinis, in quo genere multa quidem posteritas adiecit. Nam à Germanis plura de his arte reperta simul & usu, ut nihil tã firmum, nullacꝫ tanta uis, quæ non his hodie debilitari aut uinci possit. Etenim Scorpio, quã nunc balistam uocamus, citius torquet ab uno tractata, q̃ prius à duobus. Loco uerò onagri simul & arie

tis, ęreas machinas, q̃s ex sonitu bõbardas uocãt, ingẽtis põderis saxa igne impulsa euomẽtes, habemus. Quę quidẽ machina primũ à Germanis dono Venetis data, quũ hi apud Clodiã fossam Genuẽses obsiderẽt. Innumerabiliaq; alia, q̃ nũc apud Gallos potissimè cernimus. Sũt tamẽ q huiuscemodi apud priscos etiã fuisse uelint ex his uersib. *Virg.*

Vidi & crudeles dantem Salmonea poenas,
Dum flammas Iouis, & sonitus imitatur Olympi.
Quatuor hic inuectus equis, & lampada quassans,
Per Graium populos mediæq; per Elidis urbem
Ibat ouans: diuumq; sibi poscebat honorem,
Demens, qui nimbos & non imitabile fulmen,
Aere & quadrupedum cursu simularet equorum.

Et quãdo ad bellũ faciũt nauigia, percurrã Marcello memorata. Horia, faselus, lẽbus, lenũculus, lintres, celox, cymba, scapha piscatoria omnia paruaq;. ue locia uerò sunt, nauis rhodia, actuaria, liburnica, mioparũ, qđ piratarũ. Tarda aũt, corbita, oneraria, pistris, circerus.

Vęhicula quoq;, currus, esseda, petoritũ, pilẽtũ, carpẽtũ, carruca, cisiũ, arcena.

FINIS.

AGAPETI DIACONI DE OFFICIO REGIS

ad Iustinianum Cæsarem opusculum Paræneticum, Albano Torino interprete.

DIVINISSIMO PLVRI-*maq; ueneratione dignissimo Regi nostro Iustiniano, Agapetus Diaconus cui nemo secundus.*

QVONIAM dignitatẽ quolibet honore celsiorem sortitus es, Cęsar Iustiniane, prę cęteris omnibus Deum omnium rerum autorẽ, qui te hac dignatus est, uene-

uenerare. Nã is tibi terrestris imperij, ad cœlestis regni instar, sceptrum, iustitiæ symbolum, credidit; ut sacrã mortales æquitatem edoceres, & cunctos qui hãc mordicus rabiosi canis modò, latratu'ue impetunt, proscriberes, legibus te suis substernendo, & subiecto gregi quàm legittimè imperitando.

QVEMADMODVM nauium gubernator nunquam ociosus in utramuis, ut dicitur aurem dormitat, noctesque insomnes perpetuò ducit. Ita oculatissima quoque regię mẽtis cogitatio rectę, iuris legũque constitutionis gubernaculum cautius obseruans, strenueque insultantes iniquitatis procellas arceas, ne uspiã iniustitiæ impetuosis fluctibus, scapha ornatissimæ reipublicæ impingat, uigilias sustinet. II.

DIVINA est doctrina & pręcipua sanè, qua docemur ut homo cognoscat se quisque. Nam quisquis semetipsum intus & in cute pernouit, deum etiam suum cognoscet, deum autem quicun- III.

que recte cognorit, huic ipsi consimilis euadet, Deo autem cōpar euadet, qui factus est Deo minimè indignus, Deo autem neutiquam indignus habebit, qui nullam rem Deo indignā designauerit. Cæterum, qui secum acrius quæ Dei sunt, animo reputat, & eadem quę animo reuoluit, profitetur, & patrat sedulò quęcunq; profitetur.

IIII. NEMO in parentū stemmate glorietur. Cœnum nanq; omnes primum generis sui exordium sortiti sunt, tam qui purpura byssoq; turgescunt, quàm qui rerum inopia premuntur, & ægritudine conflictantur, tum diademati, tum excubitores atrij: noli cœnosam itaq; prosapiam iactare gloriosius, sed in morum synceritate glorieris potius.

V. NEQVE te unquā ô Cęsar, uerę pietatis diuini exculptum manu simulachrum prætereat, quod quanto amplioribus Deus te dotibus digniorē reputauit, tanto plus illi debeas. Proinde debitam gratiarum actionem optime

de

de te merito repende, qui debitum perinde atque munus & beneficium beneficio retaliat. Ipse profectò semper beneficijs prior prouocat & officijs haud aliter ac debitis respondet, neque aliud interim à nobis quàm gratitudinē reposcit: non quæ uerborum blādimentis, sed piarum rerū oblatione peragit.

NIHIL hominē ad tantā sui admirationem prouehit, atque potestas efficiundi eius quodcunque affectat, nullā tamen rem interim ab humanitate alienam neque uelle nedum patrare unquā. Quum itaque tibi Deus, eam, quam bona tua uoluntas, nō suo, sed nostro potius nomine desyderabat, facultatem largitus sit, nihil uelis neque patrabis, quod illi, qui te istà donauit, non adprobetur. VI.

FORTVNAE terrestris opes uolucres & pendulæ, annium tempestatem æmulantur, momentum enim tēporis affluunt his, qui possidere se eas autumāt, paulo uerò pòst præterfluen- VII.

tes ad alios permeāt. Solus officiorum thesaurus immutabilis & constans possessio habet: bonorum enim operum gratiæ, ad autores suos postliminio reuertentur, & ueluti retorquentur.

VIII. INACCESSIBILIS uel à paucissimis saltē hominibus cōpellandus; ob terreni huius imperij fastigiū, accessu uerò facilis opera tua opeq; egentibus existis, propter diuini illius imperij potentiam existet. Et quo dei meatus auditorij tuæ maiestati nunquam obturentur, omnibus qui penuria rerum obsessi præmuntur, aures admodum patulas arrigis. cuiusmodi namq; conserui nostri experiuntur nos ipsos, eiusmodi erga nos etiam experiemur dominum.

IX. ANXIA & nunquam secura regis anima speculi instar solicitius expurgetur, ut quum cœlestibus usq; fulgoribus, ueluti diuino iubare uibrauerit, rerum etiã inde discrimina iuditio discernere discat. Nulla quippe res, ea

quæ

quæ decent & expediunt, luculentius ob oculos ponit, atq; perpetua syneeræ mentis custodia.

QVEMADMODVM inter nauigandum uel leuis quispiam nautę cuiuslibet ipsius periculum nauigantibus, non contemnēda adfert. Nautici uerò gubernatoris error nauigij omnino autor existit. Ita & in urbibus si priuatus quispiam deliquerit, non tā reip. quàm sibimet ipsi iniuriā ac detrimentum infert. Sin magistratus, siue summus ipse moderator peccarit, uniuersam rempublicam damno præsenti afficit, perinde igitur atq; graues daturus est pœnas, si quid eorum, quæ necessariò peragenda sunt, negligentia prætereat, summo studio, curaq; exactissima tum dictitet tum factitet omnia. X.

ROTA quædam humanarū rerum orbiculatim uoluitur, quæ aliâs aliter ipsas uertit & circumuertit, atq; in his inæqualitas habetur, quoniam nihil rerum præsentium eodem in statu XI.

per-

p̃sistit. Quare potẽtissime Cæsar in hac rerũ uersatili incõstãtia te immutabilẽ pieatis cõsyderationẽ habere cõuenit.

XII. ADVLATORVM pellaces sermones, perinde atq; rapaces coruorum mores, respue. Vt enim illi corporis oculos effodiunt, ita hi animę rationẽ obtundũt, quoniam rerum ueritati tenebras offundunt. Aut enim uituperanda laudibus efferunt, aut qualibet commendatione potiora, subinde culpantes deprimunt ac uituperant. Sic, ut in altero duorum semper delinquãt, uel prauum commendando, uel rectũ & honestum cõtumeliosius damnãdo.

XIII. AEQVALIS & ueluti murus aheneus (ut sic eloquar) esto regię mẽtis constantia, itendidem quippe pro diuersis rerum uarietatibus alterari. Polypi mẽtem, hoc est, animum uersatilem arguit, pectore autem forti & inuicto honestis rebus inherere (quo, ceu sustẽtaculo firmissimoq; fundamẽto uenerãdum nostrum imperium stabilitum tene-

tenetur) & neq; ad arrogantiam usq; efferri, neq; animum despondere, hominem in tuta ueluti basi fixum, et animũ quod dicitur, heptabœum, testatur.

XIIII. QVOD si ab humana quis impostura cogitationem habeat syncerã, intueaturq; propriæ naturæ uilitatem, momentaneamq; uitæ huius celeri fato obnoxiæ breuitatem, insitas præterea carni sordes, nunquam insolentiæ illidetur præcipitio, quanquam in excelso dignitatis fastigio cõstitutus sit.

XV. INTER cuncta imperij ornamenta, diuini cultus pietatisq; stemma Imperatorem cõprimis exornat, opes nanq; fragiles illico intereunt, gloria & aura popularis, sine mora transuolant. Sola uerò diuinæ uitæ laus & gloria, cum immortali æuo in perpetuum durabit, & ab obliuionis interitu, eos q hanc possidẽt, si qd aliud, uindicabit.

XVI. OMNIVM mihi à ratione alienissimum esse uidetur, quod homines locupletes atq; egeni ex cõtrarijs rebus

can-

eandem uitæ iacturã faciũt. Illis enim uero satietate, ilia rumpunt, istos uero fames tabefactos interimit. Illi extremos orbis terrarum fines possident, hi uix ubi pedis callosi plantas figant, obtinent. Quò igitur utriq; secundam ualetudinem assequantur, adiectione & subtractione medendi sunt: atq; ad paritatem transferenda est imparitas.

XVII. NOSTRA ætate prosperæ uitæ tẽpus manifestatũ est, quod fore quidã ex ueteribus diuinauit. Quãdo uel philosophi regnabunt, aut reges philosophabunt, philosophũ quippe agẽtes, regno idonei habiti estis, & regnantes ne latũ quidẽ unguẽ à philosophia desciuistis. Nã si sapiẽtiã amare, creat philosophiã. Initium autẽ sapientiæ timor domini, quem in scrinio uestri pectoris semper habetis, quàm uerum sit quod à nobis dicitur liquidissimè constat.

XVIII. REGEM te re uera asserimus, utpote qui uoluptates tum regere, tũ uincere possis, quiq; tam sobrietate ac sanguinis mẽte diademate redimitus, q̃ purpura

iustitię amictus incedis, aliã qppe quãlibet potentiam cõtinuè mors comitat: hoc aũt imperiũ, immortale ppetuò ser uabit, alia itẽ in hoc sæculo soluit, hoc uerò perpetuitate supplicij liberatur.

XIX.

SI ab uniuersis gloriam lucrari uelis, beneficio cunctos sine discrimine afficias, nihil in tantam beneuolentiam, quanta gratia, quæ egentibus præstatur, conciliat, quod enim formidinis ergò pręstatur obsequiũ, fucata est adulatio, simulati honoris titulo adhærent imponens his qui ipsi attendunt.

XX.

SANCTVM & ueneratione optimo iure dignissimum uestrum est imperium, quoniã ut hostibus suæ potestatis aculeos ostendit, ita & subiectis humanitatem exhibet: cumq; illos armorũ impetu uincat, à suis inermi charitate uincitur, tãto enim inter se discrimine utraq; excedunt, quantũ est inter feram ouemq; interstitium.

XXI.

IMPERATOR corporis substantia nullo discrimine à quolibet homi

hominе dissidet. Maiestâtis uerò potestate Deo cunctorum præsidi respõdet. Nullũ quippe habet in terris sublimiorem. Officiũ itaq; ipsius fuerit perinde atq; Deum ira nunquam efferuescere, & ueluti mortalem neutiquam turgere siue efferri. Licet em̃ diuina imagine honoratus sit, puluere tamẽ terræ contaminatus est. Quæ res documẽto esse debet, ut in uniuersos sine discrimine æqualitatem seruet.

XXII. CHAROS & cõmendatos eos qui tibi probè consultum uolunt habeto, non eos qui adulari frequenter student: illi em̃ quod reuera expedit respiciunt, ij uerò, ad ea quæ arrident potẽtib. corporũq; umbras imitãtes, omnibus ac singulis eorũ uerbis adplaudũt.

XXIII. TALEM te tuos erga ministros geras, qualem in te dominum fore exoptas; haud aliter enim quàm audimus, audiemur: & quemadmodum respicimus, ita & à diuino cunctaq; obtuente cõspectu respiciemur. Priores itaq; miseri-

sericordiæ nos misericordiam conferamus, quò par pari recipiamus, quod est, misericordiam consequemur.

XXIIII

QVEMADMODVM exquisita specula eandem ad unguem, faciem, quam ipsa archetypa exhibēt, referūt, alacrem uidelicet alacrium, tetricam uero tristantium. Sic etiam iustum Dei iudiciū, operibus nostris respōdet cuiusmodi nanque sunt quæ patramus, eiusmodi talionem ab ipso feremus.

XXV.

PRIVSQVAM rem peragendam incipias, diu consultabis, ubi consulueris, maturè opus est facto. quoniā temeritatem incōsultam, summum in rebus periculum comitatur. Si quis eñ. quæ ex inconsiderata temeritate oriuntur mala, perpenderit, facilè boni consilij emolumēta comperiet. Perinde atque ei, qui ualetudinis secundæ beneficium, nō nisi morbum experti persentiscunt. Tuum itaque munus fuerit prudētissime Imperator, consilio solertiore & supplicationibus ad Deum impensio-

n ribus,

ribus, accuratissimè quæ mundo sint expeditura perscrutari.

XXVI. REGNVM tuum egregium rectissimè gubernabis, si summo studio omnia curabis oculis non conniuentibus discutere, neque uel tantillum negligere sustineas. Neque enim in te paruũ existit, quod tuorum collatione paruũ censetur: eò quòd minimum regis uerbulum maximum apud singulos pondus sustinet.

XXVII. QVONIAM in terris nemo tuã maiestatem potest cogere, tibimet ipsi seruãdi leges necessitatẽ impone. Hoc etenim pacto, non legum modò reuerentiam præferes ipse, præ aliis eas reuerendo, sed subditis etiam constabit, legum præuaricationem, non esse periculo immunem.

XXVIII DELINQVERE, & eos qui delinquunt nullo obstaculo occupare, perinde esse reputa. Si enim quispiam in republica uitam ipse degat ab omni iniquitate immunem, eos autem qui illicitẽ

licitè uitam traducũt, sustineat, malitiæ collega à Deo iudicatur. At si duplici nomine commendari laboraueris, nõ solum eos qui egregia & honestissima facta pręstant, honoribus prosequere, sed ijs etiam qui scœlesta facinora patrant, irascere.

PERVERSORVM hominũ contubernia uitare plurimum conducere cẽseo. Quisquis enim prauis cum hominibus usq; cõsuetudinem habet, hunc mali quippiam sustinere uel discere necessum est. Qui autem frugi hominibus conuersatur, aut honestatem æmulari, aut uitia circũcidere edocet. XXIX.

QVVM tibi terrarum orbis imperium à Deo concreditum sit, ad rerum negocia exequenda adq; ipsarum gubernacula, nemine ex nequam hominibus utare. Nam quicquid illi peccauerint, perperãq; patrarint, eius rationem referet Deo, qui peccandi potestatem ipsis indulserit. Multo itaq; atq; accurato scrutinio ad magistratuum pro- XXX.

motione opus est.

XXXI. HOSTIVM maleficijs succensere, & amicorum blandis assentationibus demulceri, iuxtà malum esse arbitror. Vtrisq; enim strenuè renitendum est, nec latum uspiam unguiculũ à decoro discedendum, neque absurdum illorum odium uindicando, neq; fictitiã istorum beneuolẽtiã compẽsando.

XXXII NOLI eos qui sine discrimine cũcta, quæ abs te dicunt, aut perpetrant, laudibus efferunt, uerissimos reputare amicos: sed qui omnia æquo iudicio agere contendunt. Ita ut gratulentur tibi probè, tristentur contrà, si perperam quum dixeris, tum egeris. Hi quippe re uera à mendacijs alienissimæ amicitiæ indicium præferunt.

XXXIII. NE mundanæ huius potentiæ moles, tibi magnanimam mẽtis sententiã uertat, cautio est: uerum tanquam fato obnoxium, atq; caducum gubernans imperium constantem in rebus inconstantibus animum obtineto, neq; immode-

moderata te lætitia ad cœlũ, ut dicitur, efferens, neq; animum tristitiæ despondens, aut nimium submittens.

QVEMADMODVM aurum aliâs aliter ab arte transformatur, & ad varias ornamentorum species transfiguratur, permanet tamen id quod est, neq; alterationem admittit. Ita tu quoque inclytissime rex, aliud ex alio per gradus obtinens imperium, nactusq; supremum honorem, idem tamẽ usq;, non eisdem in rebus, immutabilem cõtinens in officio animum permanes. XXXIIII.

TVNC demum te extra periculum regnare arbitreris, quum uoluntarijs hominibus imperas. Quicunq; etenim haud ita sponte subijciuntur seditionibus, facilè capta occasione fluctuant. Qui uerò uinculis beneuolẽtiæ gubernantur, firmam retinent erga gubernatorem obedientiam. XXXV

QVO regni tui maiestatem ac potentiam celebriorem cunctisq; decantatam reddas, non minore stomacho XXXVI.

tuis ipsius delictis, quàm subditorum peccatis excandescendum ducito. Nemo quippe potest suprema potestate pollentē castigare, excepta ratione propria, quę ex ipso delinquente agitatur.

XXXVII. MAGNAM qui potestatem nactus est, largitorē potestatis manibus pedibusq; imitetur. Si enim rerū praesidis Dei imaginem quodammodo gestat, atq; per ipsum rerū principatum obtinet, in eo comprimis sanè imitabitur Deum, si misericordia nihil antiquius reputet.

XXXVIII. SVPER aurum & lapidem preciosum opes beneuolentię nobis tanq; thesaurum reponamus. Illae nanq; tam in picti uita, futurae fruitionis spe, oblectamētum, quam in futura, gustu beatitudinis dulcedinem adferunt. Quae autem in praesens nos ambiunt, ueluti nihil ad nos spectātia, ne nimium nos exhilarent.

XXXIX. QVI cum maiore beneuolentia tua iussa capessunt, eos splēdidioribus mune-

muneribus demereri contẽde. Isto nãque modo bonorum alacritatem augebis, & prauos ut malitiã dediscant, docebis. Eisdem enim honoribus dignos censeri, qui non eadem patrant, nimis nefandum habetur.

XL. PRAESTANTIVS nihil est règno, maximè si rex cuius est imperium, non ad contumaciam & præfractam immanitatem propensus sit, sed ad æquitatẽ & mansuetudinem respiciat, sæuitiam atq; inhumanitatem, ceu ferinam, respuendo, humanitatẽ contrà, ceu Deo similem præferendo.

XLI. AEQVA lance erga tam amicos q̃ inimicos uergẽte iudicandi trutina utitor, neq; beneuolis de te bene sentientibus ob beneuolentiã gratificans, neque maleuolis propter inimicitiam resistens: iuxtà enim nepharium est, iniquum iustificare, etiamsi amicus existat, & iustum iniuria, licet hostis sit, afficere. Simile quippe malum utrobiq;, tametsi in contrarijs reperitur.

XLII. ATTENTO auscultare animo rerum iudices oportet. Nam uix deprehensibilis est iusti inuentio, facilè latēs non penitus attentos: si enim obmissa dicēdi grauitate, & neglecta dictorum cōcinnitate, sese in profunditatem sensuum demiserint, utiq; sic haurient ab ipsis quæsitum, & duplex malum effugient: neq; ipsi ut honestum prodāt, neq; alijs hoc facere permittentes.

XLIII. ETSI astris paria numero præclara gesseris facinora, non tamen unquā Dei bonitatem excēdes: quęcūq; enim quispiā obtulerit Deo, sua ipsi offeret ex suis. Et quemadmodum nulli transilire datur suam in sole umbram, præcedentem semper aut nimium accelerantem: Ita inuincibilē Dei bonitatem nemo mortaliū bonis operib. superabit.

XLIIII. INEXPENDIBILES sunt beneficiorum diuitiæ, largiendo quippe acquirūtur, & spargendo corraduntur. Has tuo insitas animo habens rex munificentissime, largire omnibus qui

abs

abs te petũt liberalitet. Multiplices ẽm pro his remunerationes habebis, ubi tempus talionis referendi uenerit.

XLV. NVTV Dei imperium consequutus imitare eum egregijs facinoribus, ex eorum enim hominũ albo procreari. Tuæ maiestati cõtigit, qui beneficio afficere possunt, non qui opus habent affici, prompta nãq; pecuniarũ rerũq; ceterarum affluentia nullũ impedimẽtum esse potest, quo minus cõferantur in egenos beneficia.

XLVI. QVEMADMODVN oculus innatus est corpori, sic mundo rex adaptatus est à Deo, ut ea quæ expediunt, administratione adiuuet. Donatus suarum itaq; partiũ fuerit, singulis ac uniuersis hominibus, perinde atq; suis artubus prospicere, ut in bonis proficiãt, & à malis non offendantur.

XLVII. TVTISSIMAM salutis tuæ custodiam ducito, neminem unquam ex subditis offendere. Qui enim iniurius est nemini, de nullo suspicionem cõcipit.

 pit.

pit. Quòd si neminem offendere tutelã conciliat, beneficia conferre longè id melius præstabit. Vt enim tutiorẽ reddit, ita & charitatem non deserit.

XLVIII. ESTO pientissime Cæsar imperio tuo subiectis, propter potentiæ sublimitatem formidabilis, et propter beneficentiæ largitionem desiderabilis. Neque ob amorem, formidinem spernẽs, neq; ob formidinẽ, amorem negligẽs. Sed mansuetudinem non contemnendam, & cõtemnabilem familiaritatem dira sæuitia castigans.

XLIX. QVAE tu ueluti legislator subditis sermonibus sancire, eadem ipse præoccupans rebus ipsis præstare, atq; ita exprimere soles, ut uerbis quibus persuades, inculpata etiã uita astipuletur. Isto utique modo imperium maiestatis tuæ omniũ ore celebrabit, si non citra opus ratiocineris, & cum ratione opereris.

L. EOS qui supplicijs abs te beneficia accipere gliscunt, maiore quàm qui te muneribus obruere studẽt, amore amplecti-

plectitor. His enim remunerationis debitor fies, illi autem Deum tibi debitorem ceu uadem dant, qui sibi quæcũque in supplicantes conferuntur, uendicat, & optimis retributionibus tuam quum piam tum perhumanam mentem retaliat, remuneratque.

SOLIS utique munia sunt, ut orbis fabricam radijs illustret. Regis autem ac principis cuiuslibet officium summaque uirtus est, ut egenorum misereatũ, & illo clarior rex est non impius. Quoniam ille noctis successioni cedit, hic uerò prauorum rapacitati nihil concedit. Sed lumine ueritatis, iniquitatis occulta coarguit. LI.

REGES qui te antecesserunt, regnum ornarũt. Tu autem potẽtissime Iustiniane, regnũ illustrius reddidisti, mansuetudine austeram potestatis molem temperando, benignitateque perculsum metu istorum qui te conueniunt animum uincendo. Quamobrem tuæ serenitatis portum subeunt omnes qui mise- LII.

misericordia indigent, procellisq; paupertatis exempti, gratiam referẽtes, hymnos ad te missitant.

LIII. QVANTVM potẽtatu reliquos excellis, tantum egregijs etiam facinoribus prȩlucere alios enitere. Nam quȩ amplitudini potestatis respondeat honestorum operum functionem, abs te contẽdi persuasissimum habeto. Quapropter ut à Deo, ueluti prȩconis uoce uictor pronuncieris, diademati insuperabilis imperij adepto, coronam etiam ex egentibus promerendis acquirito.

LIIII. CONSVLTO priusquam, quæ fieri fert animus, imperes quo semper quæ fas est, cordatè demandes. Lubricum nanq; instrumentum est linguæ, & maximum negligẽtibus periculum adfert. Quòd si pia & considerata ueluti musicus, illi accedat cogitatio, melos uirtutis ex omnibus harmoniæ numeris concinnatum modulabitur.

LV. PROMPTVM quidem in omnibus regem esse conuenit, præsertim in

in grauissimarum rerum iudicio. Lentum uerò admodũ ad irascendũ. Quoniam autem nunquam irasci stipitis uerius quàm hominis est, & moderatè irascatur, & non irascatur pro re nata conuenit. Illud quidem, ut malorum irruentium impetum reprimat, hoc uerò, ut bonorum propensiones ueluti sagaci odoratu inuestiget.

IN exacta cordis tui curia cohabitantium mores accuratè cum perpensione contemplator, quò amussatim cũ eos qui charitatis nomine sunt colẽdi, tum qui per fraudem tibi adulantur, dignoscas. Magnam quippe beneuolentiam simulantium pars credentes summo detrimento afficit. LVI.

QVVM frugi sermonem accipis, non auribus solum, sed opere quoque excipito, hoc quippe pacto regis splendidum euadit imperium, quando uel ex se ipso, quae usui sunt, perspicit, uel ab alio repta nõ despicit, sed absque uerecũdia discit, & citra dilationẽ exequitũ. LVII.

ARX

LVIII. ARX quidem indepopulabilibus muris munita, oppugnantes se hostes despicit, pium aũt uestrum imperium, misericordia & liberalitate erga miseros ueluti muro cinctum, & supplicationum turribus corroboratum, nullis hostium telis peruiũ, insuperabile fit, decantata aduersus ea erigẽs trophæa.

LVIX. REGNO isto inferiore ita decenter, ut scala tibi fiat superioris glorię, utitor. Qui ẽm illud rectè gubernãt, huius etiam postmodum compotes erunt. Illi autem rectè gubernant, qui paternum in subditos desyderium prę ferũt, & principi debitam ab ipsis formidinẽ recipiunt: crimina quidem minis compescentes, mulctæ uerò sensum minimè infligentes.

LX. VT uestis beneficiorum amictus inantiquabilis est: ita amor ueluti paternus erga egenos, stola incorruptibilis est, oportet itaq; eum qui piè regnare uoluerit, eiusmodi uestimentorum cultu per honesto animã eleganter ador-

orna-

ornare. Charitatis enim erga pauperes purpura quisquis amictus est, cœlesti etiam regno dignus efficietur.

LXI. QVVM nutu Dei sceptrum imperij adeptus sis, consydera quo nam pacto ei qui largitus est illud, gratificādo complaceas, & quãtum præ cæteris hominibus cunctis honorem eius beneficio habes, tanto magis præ omnibus eum uenerare & honestare contende: cæterum id ipse summi honoris & honestamenti loco reputat, si perinde atque te ipsum à se creatos tuearis, & uelut debitorum solutionem benefaciendi munijs compenses.

LXII. QVVM mortalium quemlibet supernum ad præsidium confugere expediat, qui salutem efflagitat. Rex autẽ præ cæteris omnibus anxius & solicitus est. Quum enim à Deo custodia obseruetur, tam hostes generosa manu expugnat, quàm suos sedulò corroborat & communit.

LXIII DEVS nullius rei, Imperator solo Deo indiget. Imitare ergo nulla re indigum, & affectantibus fac uberem misericordiæ copiam, nō ad uiuum resecantem sumptuum rationem cum famulis tuis subducito, sed quæcūq; ad uitę necessitatem efflagitant, præbeto.

LXIIII. SI delictis tuis ignosci desyderas, his etiam qui te offendūt, ueniam dare ne detrectes, quoniā remissioni retribuit remissio: & quum direpta ac soluta cū conseruis nostris gratia resarcitur, Dei amicitia & familiaritas conciliatur.

LXV. QVI inculpatum principem agere contendit, non tam notas quę foris immorūtur effugere, quàm ante alios erubescere & uerecūdari debet illorū gratia, ne tum palàm quid delinquat, tum sua ipsius causa cauere ne priuata seorsum flagitia committat. Nam si ex his qui reguntur aliqui reuerentia prosequendi sunt, ne dum is qui regit eiusdē compos efficietur.

LXVI. PERVERSA ac punienda pri-

ua-

uatū designare, scœlus esse iudico. Regis autem flagitium, quæ honesta sunt & salutem conciliant, non facere. Neq; enim malorum abstinentia potentem iustificat, sed honestas res patrare palmā tribuit, atq; coronat. Quocirca nō scœlus sibi modò uitādum putet, sed iustitiam quoque manibus ac pedibus capessendam.

LXVII. MORS dignitatum splendores nō ueretur, nam sine discrimine cūctis omniuoros dentes infligit. Quare ante illius ineuitabilem aduentum, bonorū & facultatum copiam in cœlum, ueluti thesaurum transferemus. Nemo quippe quæ in mundo corradit, illuc profectus secum abducit, sed omnibus in terra derelictis, nudus de uitæ suæ cunictationem reddit.

LXVIII. CAESAR quidem omnium est dominus, sed cum omnibus cæteris Dei seruus existit, tunc autem maximè dominus appellabitur, quum ipse sibi dominatur, nec illicitis uoluptatibus ser-

uit, sed rationem non impiam in commilitonem insuperabilem, irrationabilium affectuum monarchã assumẽs, omnidomãtes cupiditates, omnigeno armorum apparatu continentię profligabit.

LXIX. QVEMADMODVM umbræ corpora sectãtur, ita animas delicta iugiter comitantur, quę ueluti in speculo effigiata facinora exprimunt, eoq; non licebit inficiari in iudicio: ipsa nanque uniuscuiusq; opera obtestabuntur, nõ utiq; uociferando, sed talia omnino sese, qualia à nobis patrata sunt, olim repræsentando.

LXX. COMPENDIOSVS præsentis uitæ status, nauis pontiuagæ transitum æmulatur, qua nos suos nauigatores fallens, & paulatim cursu leni trãsuersum raptans, quemlibet deniq; ad suum exitum producit. Quum igitur hæc ita se habeãt, prætercurramus prę-currentia mundi negocia, & contendamus ad ea, quę in secula seculorum perdurant.

A R.

ARROGANS fastuq; prȩditus atq; supciliosus homo, ne perinde atq; taurus alticornis efferat̃, sed carnis substantiã recordet̃, & pẽnas, ut dicũt, cordisq; tumorẽ demittet. Licet em̃ principatũ adeptus sit in terra, nõ tñ ignoret sese pgnatum esse ex terra, è puluere, & ad solium conscendens, atq; in puluerem denuò descendens. LXXI.

STVDIIS semper incũbito inuictissime Imperator, & queadmodũ q scalas cõscẽdere nitunt̃, nõ prius ad superiora ferri desistunt, q̃ ad supremum puenerint gradũ, sic ipse etiã honestorũ ascẽsum iugiter cõtinuato. Ita fiet, ut cœlesti quoq; regno aliquando fruare, q tibi pariter & coniugi, Christus rex omnium, qui regnant & regnantur largire uelit in secula, Amen. LXXII.

AGAPETI DIACONI DE
Officio regis, ad Iustinianum Cæsarem, Finis.



IN PRINCIPE REQVIRI DOCRINAM,

Plutarchi Commentarium, Erasmo Roterodamo interprete.

PLATO rogatus à Cyrenensibus, ut sibi leges scriberet, scriptasq; relinqueret, ac reipublicæ statum cóponeret, recusauit, dicens esse perdifficile leges condere Cyrenensibus, qui tã essent felices. Nihil enim tam superbum, nihil tam intractabile ac morosum esse, quàm hominem, quẽ fecilitatis opinio corripuerit. Quapropter difficile est, his qui gerunt imperium,

perium,

petium, de imperio cōsulere Reformidāt enim rationem, ceu principem admittere, ne potentiæ bonum, quod habere uidentur, impediat. si id astringat, & seruire cogat honesto. Idq; faciunt, quod ignorent sententiam Theopompi, Spartanorū ducis, qui cum primus in Sparta regiæ potestati adiunxisset magistratus Ephoros, deinde uxor dixisset probro illi futurū, si filijs traderet minus imperiū, quàm accepisset, ipse, imò maius inquit, relinquo, nimirum hoc maius quo firmius. Nam cum acerbitatem ac seuiciam imperij remisisset, unà cum inuidia uitauit & periculum. Quanquam Theopompus ex imperio uelut magno flumine deductis riuis, quantū alijs dedit, tantū sibi detraxit. At ratio, quam adfert sapientiæ studiū, si principi assideat ei ceu domesticus custos adiuncta bonæ ualetudinis, sublato eo quod est periculo obnoxiū, quod sanum est, relinquit. Sed pleriq; reges ac principes parum cordati, statuarios

Imperiū nō spacio, sed stabilitate metiendū.

Bona similitudo.

 imperi-

imperitos imitantur, qui credunt Colossos magnos & amplos uideri, si tibijs uehementer diductis, si late distentos & hiantes finxerint. Nam hi quoq; grauitate uocis, toruitate uultus, ac morũ truculentia, fugaq́; consuetudinis humanæ, maiestatem & autoritatem imperij sibi uidentur imitari, nihil prorsum à Colossorum signis discrepantes, qui cum foris heroicã ac diuinã quandam speciem præ se ferant, intus pleni sunt terra, lapide, plumbo, nisi quòd istud Colossorum pondus, rectitudinẽ illorum stabilem & immotam seruat.

Dissimile. At ineruditi duces ac principes, propterea quòd intus male librati sint, sępe numero uacillant, ac subuertunt. Etenim cum basi non rectè positæ sublimen superstruunt potestatem, simul cum ipso pondere nutant, & ad ruinã inclinantur.

Comparatio principis ad regulam. Verùm quemadmodum oportet, ut ipsa regula primum recta sit, nihil habens obliquũ, deinde cætera sibi admota, quatenus sibi cõgruũt

exae-

exæquet, consimili modo princeps posteaquam imperium in seipso parauerit, ac direxerit, uitamq; suam composuerit, tum debet sibi applicare eos, quibus imperat. Nec enim cadentis est, alium erigere: nec ignorantis, docere: nec incompositi, componere: nec ordinare inordinati: nec imperare eius, qui non pareat imperio. At qui parum sapiũt, illud præcipuum imperij bonum esse ducũt, quod nullius imperio subiaceant. At Persarũ quidem rex, omnes pro seruis habebat, præter uxorẽ suam, cuius maximè conueniebat esse dominum. Quis igitur imperabit principi? Nẽpe lex, omniũ regina & mortaliũ & immortaliũ, ut ait Pindarus: non ista quidẽ lex foris in libris, aut ligneis scripta tabulis, sed uiua illi insita ratio, semper conuiuens, ac familiaris principi, necunquam animum suo ductu, suaq; moderatione destituens. Nam Persarũ rex unũ habebat cubiculariũ, cui hoc negocij mandatũ erat, ut diluculo in-

Sententia.

Mos Persarum.

Lex omniũ regina.

gressus illi diceret: Surge rex, atque ea cura negocia, quae te curare uoluit Mesoromasdes. At erudito prudentique principi intus in animo adest, qui semper idem dictet ac iubeat. Polemō dicebat amorem esse deorum obsequium, ad prospiciendum adolescentulis. Sed uerius quis dixerit, principes ministros esse Dei, ad curam ac salutem hominū, uti bona quae Deus illis largit̄, partim distribuant, partim seruent. Vides in sublimi coelum hoc immensum, quod terram undique liquidis ulnis amplectitur. Illud quidem demittit seminum, quibus opus est, principia, terra uerò producit. Crescunt autem partim hymbribus, partim uentis, partim stellis, ac luna confouentibus. Porrò sol ornat omnia, omnibus uim amoris ex sese admiscēs. Sed tot tantisque muneribus, ac bonis, quae dij largiuntur, nō licet nec frui, nec uti recte, si desit lex, iustitia & princeps. Itaque iusticia quidem legis est finis. Lex autem principis opus. Prin-

Princeps quid sit.

Iustitiae laus

ceps

ceps uerò Dei simulachrū administrantis uniuersa, nihil egens Phidia statuario, neque Polycleto, neque Myrone. Sed ipse seipsum per uirtutē Deo similem reddidit, ac fabricatus est statuā omniū uisu iucundissimam, ac magnificentissimam. Quemadmodū enim Deus in coelo pulcherrimum suiipsius simulachrum constituit, solem ac lunam, talis est in republica imago ac lumē princeps, qui Dei reuerēs, iustitiam tuetur, hoc est, Dei rationē gestat, nēpe intellectū, nō sceptrū, aut fulmē, aut tridentem, qua specie seipsos nōnulli fingunt ac pingūt stultitiā suam, quod uideantur inaccessi, reddentes inuidiosam. Offendit enim Deus his, qui tonitrua, fulmina, radiorum iaculationes imitantur. Delectatur autē his, qui suam æmulantes uirtutem semet in honestate & humanitate reddūt adsimiles, atque hos in maius prouehit, impertiens suam æquitatem, iustitiam, ueritatē, ac mansuetudinem. Quibus rebus nihil est diuinius,

Gestamen regis.

E poëta quopiam.

uinius, neq; ignis, neq; lux, neq; solis cursus, nec exortus, aut occasus astrorũ hæc ipsa æternitas aut immortalitas. Nõ enim felix est deus uitæ spatio, sed eò quod est princeps uirtutis. Nã hoc est numẽ. Porrò uirtutis decus est, in quo gerit imperiũ. Anaxarchus igit cũ Alexandrũ de Cliti cæde discrutiantẽ sese cõsolaretur, dixit ad hũc modũ: Clito iustitiam cõtigisse, quæ diis assideat, ut quicquid à rege fieret, phas iusq; uideret, idq; nec rectè, nec utiliter, cum regem errati pœnitentem animare ad similia patranda existimaretur. Quòd si hisce de rebus similitudines sunt conferendæ, nõ assidet Ioui iustitia, sed ipse iustitia, phasq; est, lexq; tum antiquissima, tũ exactissima. Veteres ita & loquũtur, & scribũt, & docent, absq; iustitia principatum rectè gerere, ne Iouem quidẽ ipsum posse. Atq; eadem uirgo est iuxta Hesiodum, nimirũ incorrupta, pudoris, modestiæ, & utilitatis amica, unde & uenerendos cognominant reges. Conuenit

Iustitia uirgo.

enim,

enim, ut hi maximè uereantur, q minimè timent. Ceterũ principẽ magis oportet timere, ne qd mali faciat, q̃ ne quid patiatur. Nã hoc ex ipso nascitur. Atq; hic est principis metus, et humanus, nec in generosus, ut his quibus imperat, metuat, ne quid se inscio lędantur. Non aliter atq; canes nocturnã, ac laboriosam agentes ouiũ in septis custodiam, simul atq;, trucem audierint ferã, timent nõ sibi, sed his quæ custodiũt. Epaminondas autem Thebanis in ludos quosdã festos, & cõpotationes solutis solus adibat arma, męniaq;, dicẽs se sobriũ esse, ac uigilare, quo liceret alijs ebrios esse, ac dormire. Pręterea Cato Vticę, uicto re Cæsare, reliquos oẽs iussit ad mare uocari, eos simulatque imposuisset, ac psperã esset nauigationẽ pcatus, ipse reuersus domum, sibi necem sua manu cõsciuit: docẽs uidelicet, quibus debeat timere princeps, et quæ debeat contemnere. Contrà, Clearchus Ponti tyrannus, arculę inclusus, serpentis in morẽ dormire

E poëta quopiam.

Epaminondas.

Cato Vticensis.

Clearchus.

dormire solitus est. & Aristodemus Argiuus in cœnaculo domiciliũ habebat, ostio pẽsili, cui iposita lectica, dormire cõsueuit unà cũ amica. Puellę mater scalas detrahebat, easq́ rursus apponebat orta luce. Quãtope creditis hũc horruisse theatrũ, palatiũ, curiã, cõuiuiũ, qui e cubiculo sibiipsi carcerẽ fecerit? Itaq́ q uere sunt reges, timẽt his, ĩ quos habẽt imperiũ. Cõtrà tyrãni eos ipsos timẽt, proinde metũ augẽt aucta potẽtia, propterea q quo plurib. imperãt, hoc plures metuũt. Nec enim cõsentaneũ est, neq́ decens, id quod à nõnullis philosophis dictũ est, in hyle, id est materia, q̃ cũcta patiat, queq́ innumeris negocijs recipiat necessitates, casus, cõmutatiões, latere deũ admixtũ, sed supra nos in sublimi, iuxtà naturã q̃ his in rebus semp hoc modo se habet in sanctis (ut inquit Plato) fundamẽtis fixus sedẽs, recta pficit iuxtà naturã obãbulãs. Quẽadmodũ in coelo solẽ pulcherrimũ sui simulachrũ, q̃d se ceu speculo repręsentet, ostẽdit his, q illũ p se possunt intue-

resistere, Hamata sicut ancora æquori fero.
Nisi ratiōis pōdus frāgat ac premat po
tētiā, uti princeps solē imitet̃, q̃ cū altis-
simus ē, ad polū septētrionalē euectus,
tū minimū mouet̃, cursum tutū reddēs
tarditate. Neq; em̃ fieri pōt, ut malitia la
teat in pāte. Verū eos q̃dē q̃ morbo co
mitiali sint obnoxij, si in frigus aliquod
incidāt, eoq; corripiant̃, cōtinuò capitis
occupat uertigo, ac uacillatio morbū ar
guēs. At īdoctos et īeruditos simulatq;
fortuna paulū extulerit, opibus, ac glo-
ria, aut potētia subuectos in altū, proti-
nus ostēdit caducos. Imò potius queād
modū ī uasis ināib. nō q̃as dignoscere,
integra sint, an uitiosa: uerū ubi infude
ris aliq̃d, tū apparet q̃ perstillēt. Sic ani-
mi putres nō ferētes potētiā, effluūt cu-
piditatib. nēpe iracūdia, fastu, īsolētia.
Sed q̃d attinet de his dicere, cū minima
etiā nobiliū et illustriū uirorū delicta ca
lumnient̃ homines? Cimoni uinū ob-
ijciebatur, Scipioni somnus, Lucullus
ob cœnas sumptuosiores male audijt.

FINIS.